

Naf. 4.
8.

ORATIO
CONTINENS

ADHORTATIONEM, AD
assiduam lectionem scriptorum Reue-
rendi Patris & Præceptoris nostri, D.
NARTINI LUTHERI,
ultimi Eliæ & Prophetæ
Germaniæ:

Scripta, & recitata in Schola Iste-
biensi, 2. Nouembris, Anno
salutis M. D. LXX.

à

M. CONRADO PORTA,
verbi ministri ibidem.

Recens recognita, & multò emendatiùs,
quàm antea, edita.

VITEBERGAE
Ex officina typographica Simonis
Gronenbergij.

M. D. LXXXIIII.

P I O L E C T O R I .

M. HIERONYMVS MENCELIUS
in Comitatu Mansfeldensi
Superintendens.

Si qua sedet pietas animo, & reuerentia veri,
Noscere Lutheri sit tibi cura libros.
In sacros etenim te ducent illa Prophetas,
Illaq; Apostolica prodita voce sonant.
Inde petas veræ doctrinæ corpora: & inde
Quæ credenda tibi, quæ fugienda petas.
Hinc te deducit Conradi pagina Portæ,
Hunc sequere, hic fido pectore vera monet.

EIDEM M. ANDREAS FABRICIUS,
Pastor ad D. Nicolaum Illebñ.

Vituperare hostes venerandi scripta Lutheri
Non mirum, vt Nasij lingua canina facit:
Blasphema fratris falsorum voce, dolendū est,
Id fieri, quorum scripta probare volunt.
De seruo arbitrio, de Cœna, alijsq; Lutherum
Doctrinæ summum pœnituisse suæ.
Rectius ille facit, qui prædicat ore disertio,
Quæ Deus huic dederit maxima dona viro.
Qualia Porta breui studuit comprehendere chartas,
Nota piæ quæ vult mentibus esse pijs.
Hæc quicumq; legis: dic Israël ab alto
Auriga & curius quàm fuit iste bonus,

REVEREN-
DIS VIRIS, PIE-
TATE, ERVDITIONE,
& virtute præstantibus, D. VA-
LENTINO ATHENAEO, & D.
IOHANNI PAPENIO, Ecclesia-
rum DEI in REINSTEDT &
GATTERSLEBEN, fidelissimis
Pastoribus salutem in
Domino IESV.



REVERENDI VIRI,
amici & fratres in Christo
obseruandi, cū præter scho-
lasticas lectiones vsitatas, et-
iam sacrorum librorum enar-
rationes, cum exercitio declamandi in
scholam nostram, graui & sapienti consi-
lio introductæ sint, ad me quoq;, licet mi-
nùs idoneum, ordo tandem deuolutus
fuit. Delegi igitur adhortationem ad le-
ctionem assiduam scriptorum D. LV-
THERI, felicitis memoriæ, eamq; pro-
pter materiæ dignitatem & necessitatem

A 2 1 no 2

P R A E F A T I O.

noſtriq; ſeculi in iudicando maleuolenti-
am, non ex meo cerebro, ſed ex præci-
puorum huius temporis Theologorum,
& ipſius L V T H E R I verbis collectam,
recitavi, in mediocri doctorum virorum,
ac piæ iuuentutis frequentia. Hanc po-
ſtea amici aliquot pñ & docti, qui reci-
tationi interfuerant, ſibi impreſſam com-
municari petierunt. Quod eſſi ſciebam,
non carere propter Momos innumeros
periculo: tamen non potui amicis be-
nemeritis reluctari, præſertim quia illo-
rum etiam accedebat ſuffragium, quorum
auroritas plurimum apud me valere me-
ritò debet.

Vobis autem, reuerendi viri, hunc
qualemcunq; laborem inſcribere volui:
Primò, quòd non ignoro, vos ſcripta
L V T H E R I & magnificare & dili-
genter legere, autoritatem eius pro viri-
li tueri, & veſtigis eius inſiſtere. Deinde,
vt grati animi ſignificationem aliquam er-
ga vtrumq; ederem. Tu enim P A P E-
N I primus meus Præceptor in patria
fuiſti, ac te monſtratore prima literarum
elementa & pietatis initia ex L V T H E-
R I Catechiſmo puer didici. Præterea
quia

P R A E F A T I O.

quia dulcissimam semper ab incunte ætate coluisti amicitiam cum clarissimo viro Domino Licentiate HENRICO STRE-
V I O, Concionatore & Professore Ro-
stochiensi, Meccœnate & affine meo
carissimo, piæ memoriæ, meq; in locum
defuncti recepisti, & quibuscunq; licuit
officijs prosecutus es. Tu verò Athe-
næ, multis beneficijs, dum filios tuos
discipulos & conuictores habui, me, me-
amq; familiam, affecisti, conatusq; meos in
colligenda hac materia, cum apud nos
esses, tibi non displicere ostendisti. Ter-
tiò, volui de nostro in vera doctrina con-
sensu testari, & publico aliquo signo pi-
am nostram necessitudinem confirmare.

Vos igitur pro vestra pietate &
candore, hoc, quicquid est officij, boni
consuletis, & aduersus Zoilos, quantum
in vobis est, me defendere studebitis, qui
fortassis illud in hac Oratiuncula vel ma-
ximè allatrabunt, quòd non meis sed a-
liorum verbis plerunq; vtor. Hoc autem
data opera facio, sicut tam in initio, quàm
in fine ingenuè fassus sum: necessarium
fore existimans, vt isti viro, qui hostes
& arrosores tam multos, eosq; magnos &

P R A E F A T I O.

potentes, habuerit, plurimi quoque h̄c̄p̄
pientissimi & optimi laudum pr̄cones &
defensores adderentur. In alijs materijs,
Deo mentem & calamum meum guber-
nante, verba idonea fortassis mihi non
erant defutura. Feliciter in CHR I-
S T O cum vxoribus & liberis vestris
dulcissimis valet, meq̄, vt c̄epistis, ama-
re pergite. Datæ Islebñ, Anno salutis
reparatæ 1571. die 26. Martij, quo
diligentissimus LV T H E R I concio-
rum & lectionum exceptor & conserua-
tor M. VITVS THEODOR I
CVS Noribergensis ex hac vita disces-
sit.

V. studiosissimus

Conradus Porta, Diaconus
ad D. Nicolaum.

A D H O R T A T I O
A D D I L I G E N T E M L E C T I O -
nem librorum Reuerendi Patris & Præ-
ceptoris nostri D. M A R T I N I
L V T H E R I .

Hesternus dies, quem omnium Sancto-
rum vulgo appellant, singulis nobis
in memoriam reuocare debuit, sum-
mum & maximum beneficium, quod
mundo senescenti ante Aduentum Filij sui ad
iudicium, exhibere Deus clementissimus vo-
luit, Christianæ nimirum doctrinæ, ex Cymme-
rijs Pontificiorum tenebris, repurgationem &
instaurationem.

In eius enim Vigilia, Reuerendus & æterna
memoria dignissimus vir, Doctor Martinus
Lutherus, diuinitus sine vlla dubitatione ex-
citus, Propositiones suas contra indulgentia-
rum nundinas, affixit valuis templi in arce
Vitebergensi, quas extorsit illi Iohannes Te-
tzelius, S. Theologiæ Baccalarius, hereticæ
prauitatis inquisitor & Magister, missus in Ger-
maniam à Leone Pontifice Maximo, vt In-
dulgentiarum quæstor, & ebuccinator esset. In
quibus prædicandis, eò impudentiæ & temeri-
tatis est prolapsus, vt sine omni fronte & ru-
bore non tantum priuatim, verum etiam publi-

Oratio M. Conradi

cè pro concione asseuerare non vereretur, tantam esse vim & efficaciam Indulgentiarum, ut faciant animas securas de salute, liberent eas ex Purgatorio, & ab omni pœna & culpa. Deniq; nullum esse tam atrox peccatum, quod nequeat remitti per Indulgentias, etiamsi quis stuprum intulisset beatæ Mariæ virgini.

Illam autem mendaciam, quantumuis admonitus à Luthero non agnouit, sed positionibus contrariis defendit, sibiq; adiunxit VVimpinam, Eccium, & alios parasitastros, quorum furores, cum approbarent Pontifex & Episcopi, Luthero occasionem dederunt, asserendi & propugnandi illa, quæ ex solidissimis sacrarum literarum fundamentis extruxerat, & repurgandi sensim vniuersam doctrinam, sicuti eam bodie, Dei beneficio, docemus & profitemur.

Etsi autem hoc beneficium, quod tantum est, ut omnium Angelorum & hominum eloquentiam superet, omnes homines gratissimis mentibus & vocibus perpendere, & predicare, organumq; quo vsus fuit Deus in promouendo tam sancto arduoq; negotio, amare & admirari debebant: tanta tamen (proh dolor,) est plerorumq; ingratitude, & vesania, ut nullis lacrymis satis deplorari possit. Maxima hominum multitudo falsè ridet totam religionem: Alij
cupi.

De Luthero.

cupientes videri religiosi, beneficij ipsius iam dudum sunt obliti, & diuinum Lutherum parum aut nihil curant, imò quod tristius est, plurimi inter illos, qui singularem amorem & obseruatiam erga viuentem præ se tulerunt, mortui labores plus quàm Herculeos, in repurganda doctrina exhaustos, indignissimè vellicant & carpunt, nunc ἐριστικὸν, nunc φιλαυτὸν, mox ὑπερβολικὸν & Stoicum Doctorem illum appellantes, sic scilicet mortuo Leoni etiam asini & lepores insultant.

Quò verò Diabolus impensius & rabiosius laborat & seuit, vt Dei per Lutherum exhibita beneficia & autoritatē ipsius extenuet & labefaciat, eò magis pij omnes, Ecclesijs, Scholis, veræq; & incorruptæ doctrinæ consultum cupientes, D. Lutheri dicta, scripta, factaq; & ipsi admirentur & suspiciant, & apud alios pro suorum donorum modulo commendent & euehant.

Præ alijs autem nobis, qui in dulcissimam Lutheri patriam collocati sumus, ea cura incumbit, vt depositum ab eo nobis concreditum, fideliter tueamur, & scripta eius utilissima magnifaciamus, nec sinamus ea astute peruertere & deformari. Ideoq; cum mihi ratione noui ministerij mei Ecclesiastici, à Reuerendo D. Superintendente nostro, compatre meo obseruando, dicē-

Oratio M. Conradi

di partes in præsentia demandatæ essent, & D. Lutheri libros eiusdem instinctu euoluere cœpisssem, tempusq; ipsum de initio certaminum, & die natalitio eius, qui fuit decimus huius mensis Nouëbris, ante annos 87. me admonuisset, grauissimas aliquot causas, quare Lutheri scripta diligenter legi, ratioq; de materijs Theologicis dicendi, post sacra Biblia, ex illis potissimū peti debeat, recitare, et contemptorum ac flagellatorū eorundem obiectiones diluere decreui, non quòd par essem labori tam arduo, & viri tanti eiusq; scriptorum laudibus: sed vt me ipsum erudirem, & alios quoq; præsertim adolescentes, & nouellos Theologos, ad amorem & assiduam lectionem librorum istius viri exuscitarem, peritioribus & doctioribus occasionem præberem, vt de re maxime necessaria, pleniora & splendidiora scribere, studiosisq; Theologiæ communicare non dedignentur. Interim ea qua debeo obseruantia, à vobis omnibus & singulis peto, vt tyrocinium meum placidè & benignè audiatis. quicquid enim verborum splendori deerit, hoc totum, vt spero, rerum dignitas & utilitas resarciet.

Principiò vt dixi, graues causas, quare Lutheri scripta assiduè legenda sint, percensebo. Earum autem sex potissimum reperio: Vnam, quòd à Doctore diuinitus excitato & vocato,
& à

Portæ, de Luthero;

Et à Spiritu sancto impulso & agitato edita sint. Alteram, quòd omnia capita doctrinæ Christianæ singulari dexteritate tradant, & cōsolationes efficacissimas contineant. Tertiam, quòd verbis propriissimis & selectissimis, ordine optimo, de rebus propositis dicant. Quartam, quòd omnium nostri temporis doctorum & scriptorum libros, & commentaria, autoritatis pondere, & utilitatis vbertate superent. Quintam, quòd miraculosè tam autor quàm scripta, in summis & grauissimis periculis, conseruata sint. Postremam, quòd singulari & admiranda constantia asserta & vindicata sint. Harum causarum quantum vnaquæq; valeat, DEO inuante, videbimus ordine.

1. Lutherum autem à DEO vocatum & missum fuisse, vt posiremi temporis Elias, vltimi millenarij gubernator, & Antichristicida, doctrinam de vero DEO, & beneficijs filij eius Domini nostri IESV Christi, densissimis Monachorum & sacrificulorum tenebris inuolutã & obscuratam, voce & scriptis instauraret, & suo ministerio cœtum Deo placentem, ex genere humano, ante extremum diem colligeret, historia eius liquidò testatur. Cũ enim actis primarum artiũ & linguarum fundamentis in Scholis Magdeburgensi & Isenacensi, in Academia Erphor.

*Causa
quod sit
Luth. fin
Ingenium
1. Causa*



Oratio M. Conradi

phordica, ad Iuris studium, animum applicuisset, mirabiliter fuit retractus ad S. Theologiam. Doloribus namq; capitis, & febribus laborauit adeò, vt tedium rerum terrenarum omnium eum caperet: Præterea quidam ex sodalibus et intimis amicis interfectus est de improviso, & tanta ac tam inusitata fulgura, fulmina, conspecta & audita fuerunt, vt Lutherus vehementer timens horrendam iram Dei aduersus peccata, votum Monasticum apud Augustinianos voueret, & quidem inscijs & insalutatis parentibus suis, id quod ipse in Epistola prolixa et memorabili ad patrem suum, Anno 1521. scripta testatur, vbi & hæc addit: Neq; enim libens & cupiens fiebam Monachus, multò minus verò ventris gratia, sed terrore & agone mortis subitæ circumuallatus, voui coactum & necessarium votum. Et ibidem paulò post: Videtur mihi Satanas à pueritia mea, aliquid præuidisse eorum, quæ nunc patitur, ideo ad perdendum impediendumq; me, insaniuit incredibilibus machinis, vt sæpius fuerim admiratus, ego ne solus essem inter mortales quem peteret? &c.

Receptus in Monasterium petijt sibi dari sacra Biblia, quæ antea in Bibliotheca Academia semel tantum obiter inspexerat, & ex animo (Sicut ipse sæpè postea amicis retulit) optarat sibi

bi

Portæ, de Luthero.

bi concedi aliquando proprium exemplum. Accepta Biblia auidè perlegit, & pleraq; ediscit. Post bienniū sacris initiato eripiuntur Biblia, et iubetur euoluere ordine scholasticos Doctores. Quod etsi fecit ex obedientia, attamen quando cunq; contigit ocium, abdidit sese in Bibliothecā Monasterij, & ad Bibliorum lectionem redijt.

Canones suos strictissimè obseruauit, & magna animi deuotione Missas celebrauit, nec tamen reperit, in quo tutò acquiescere conscientia tenera posset, sed tristis semper & planè consternatus fuit. Quare accedens senem quendam Monachum, confessus est ei peccata sua, & absolutionem petijt. Is præter scripturæ dicta euidentiā, eum ad verba Symboli: Credo remissionem peccatorum deduxit, & ex concionibus D. Bernhardi conuicit, requiri ab omnibus sauciatis & contritis conscientijs, vt firma fide apprehendant meritum & obedientiam CHRISTI, qui uictima factus est, pro omnibus omnium hominum peccatis. Hac consolatione mirificè confirmatus, amare iam ex animo cepit studium Theologicum, & sibi à Deo ipso missum fuisse absolutorem illum sæpe postea apud amicos, grata mente, prædicauit.

Ceterum ne de uocatione sua ad repurgandam doctrinam, ipse vel alij, dubitare possent, ex
anguo

Oratio M. Conradi

angulis monasticis in publicū est pertractus, & de consilio viri doctissimi & grauissimi, Doctoris Iohannis Staupitii, Inspectoris Augustinianorum in Misnia & Thuringia, cui notum erat ingenium Lutheri, vocatus est ab illustrissimo Principe Friderico Sapiente, Electore Saxoniae, in recentem Academiam **VVITTEBERGENSEM**, vt profiteretur sacras literas.

VVitebergam veniens, anno Christi 1508. non solum diligentissime rursus Biblia, & solida principia, atq; fundamenta in Theologia inquisiuit: verum etiam pro more Academicarum, contritricas & nenas Aristotelicorum, Scotistarum, ac Sententiariorum acerrime disputauit, monstratis longe melioribus & firmiteribus principijs, in literis sacris, idq; tanto spiritu & felicitate, vt Martinus Mellerstadius, trium facultatum, Theologicae, Iuridicae, & Medicae Doctor, ac primus Academiae VVitebergensis Rector, sapius dixerit: Iste Monachus omnes Doctores & Sophistas tandem confundet, & vniuersam Ecclesiam reformabit. Nititur enim firmissime scriptis Prophetis & Apostolicis, & in omnibus vrget verba ipsius filij Dei, quae fallere nequeunt. consistet ergo & perrumpet aliquando inuitis omnibus.

intellie

Portæ, de Luthero.

Intelligebat etiam Lutherus, ad piam & eruditam sacrarum paginarum explicationem requiri artium & linguarum cognitionem pleniorē. Quia verò præsens docendi in Academijs ratio, magis impedire quàm promouere discipulorum studia videbatur: nihil magis optauit, quàm vt explosis illis ineptijs, boni auctores, & vetus illa & utilis docendi consuetudo reuocaretur, & eruditi Hebraicæ & Græcæ linguæ Professores introducerentur. Hinc tot exant querelæ, de perditis sui seculi studijs in prima parte Epistolarum, vbi inter alia ad D. Langum Erphordensem scribit: Pars crucis meæ vel maxima est, quòd videre cogor, fratrum optima ingenia bonis studijs nata, in istis cænis vitam agere, & operam perdere, nec cessant Vniuersitates, bonos libros cremare & damnare, rursum malos dictare, imò somniare, &c.

Deniq; vt nihil deesset huic viro, quod ad legitimam & diuinam vocationē requiritur, auctoritate pontificia & imperatoria, sumptibus Illustrissimi Electoris Friderici, Doctor sacrosanctæ Theologiæ est renunciatus, & sanctissimo iuramento astrictus, vt literas sacras nocturna & diurna manu versaret, easq; propagaret, voce & scriptis, ac contra hereticorum deliria constanter assereret, & vindicaret. Hac igitur vocatide

Oratio M. Conradi

& iuramento fretus, ad impias & blasphemias in meritum Filij Dei Iohannis Tetzelij Monachi, de indulgentiarū efficacia, voces, tacere noluit: sed primū pro concione, & postea positionibus publicè affixis, sicut initio monuimus, eas impugnavit, & tam ad Episcopum Brandeburgensem ordinarium suum, quàm alios vicinos, & tandem ipsum Pontificem maximum Leonē decimum, de vanitate & impudentia hominis scripsit, nihil minus cogitans, quàm fore, vt tam impudentem impostorem & stellionem defenderent Ecclesiastici. Cū verò veram & salutarem doctrinam de pœnitentia, & pias positiones disputandi gratia propositas, sine vllis fundamentis scripturæ damnarent isti, & mendacia hominis nugacissimi, & vix dum à sacco & suffocatione in aquis liberati, ne quid decederet culinæ & quæstui suo, defenderent, non defuit veritati D. Lutherus, sed resolutiones positionum verbo Dei firmissimè munitas edidit, & omnes obiectiones adulatorum Pontificis dextrinè refutavit. Et quanquam non deessent amici & fratres, in diversis locis plurimi, hortantes ipsum seriò, vt à proposito & conatu vires eius superante, desisteret: tamen ipse spiritus sancti instinctu, & ductu perrexit, & Iodoco Hsenacensi, quem præceptorem & patrem

Portæ, de Luthero.

trem suum, virum egregium & optimum Theologum & Philosophum primum appellat, ad suam Epistolam debortatoriam his verbis respondet: Ego simpliciter credo, quòd impossibile sit Ecclesiam reformari, nisi funditus canones, Decretales, scholastica Theologia, Philosophia, Logica, vt nunc habentur, eradcentur, & alia studia instituantur, atque in ea sententia adeò procedo, vt quotidie Dominum rogem, quatenus id statim fiat, vt rursus Bibliorū, & sanctorum Patrum purissima studia renocentur; tibi videor non esse logicus, fortè neq; sum, Id autem scio, quòd nullius logicam timeo in defendenda ista sententia.

Hæc autem Lutherus non verbis tantum expressit, sed re ipsa etiam præstitit, cum puritate doctrinæ, sanæ Philosophiæ & linguarū studia reducens. in singulis enim ferè Epistolis Tomi primi, per Georgium Spalatinum, in aula Electoris Friderici vrget & instat, vt Græcus & Hebraicus Professor vocetur, & reformatio Academiæ in studijs Philosophicis instituat. Quod etiam paulò post feliciter tentatum est, vocato in Academiã istam, clarissimo, & præter ac supra etatem eruditissimo iuvene D. Philippo Melanchthone, qui Anno 1518. die 25. Augusti Vvitebergam venit.

Oratio M. Conradi

Si quis autem ista fortuita esse existimat, ille consideret vaticinia ante multos annos, de hoc ipso viro, ab hominibus longè pientissimis edita: Anno Christi 1415. constantissimus & sanctissimus Iesu Christi confessor & Martyr, M. Iohannes Hussus, iam rogo imponendus, exclamasse scribitur: iam quidem torretis anserem, sed post annos centum certò veniet Cygnus dulcissimè cantans, quem non poteritis exurere, etiamsi omnes vestras vires coniunxeritis, & tum respondebitis DEO & mihi. Hoc vaticinium de Luthero editum fuisse, ipsa experientia & euentus comprobarunt. Anno enim post natum Christum 1517. in vigilia omnium sanctorum cœpit cantare ille Cygnus contra indulgentias Papales. Præterea sanctus quidam & pius Monachus Iohannes Hiltenius, circa illud tempus quo natus est Lutherus in hoc nostro oppido, Isenaci in Thuringia, propter taxatos Monachorū errores, coniectus in carcerem, in faciem prædixit suis fratribus, Anno 1516. venturum reformatorem Ecclesiæ Romanæ.

Alius quoq; pius & doctus Monachus cognomento Fleck, in Monasterio Steinlausick, prope Bitterfeldam, auidè expectans liberationē Israelis, ex captiuitate Babylonica Antichristi, eamq; breui futuram præuidens, nullam vni-

Portæ, de Luthero.

quam voluit celebrare missam. Ac, cum interfuisset celebri pōpæ, qua introducta est Academia noua in oppidum Vitebergam, & pro felici introductione, iussu electoris Friderici, habuisset concionem, deduxit etymologiam non ab albis (sicut vulgo fieri solet) sed a sapientiæ mōtibz, & dixit, inde veram sapientiam propagatum iri, in totum orbem terrarum. Huic vaticinio ita euentus respondit, vt ipse vita sua attingeret (sicut Simeon Luc. 2.) exoptatum illū diem, quo sapientiæ istius radij eluxerunt. Visis namq; propositionibus Lutheri contra indulgentias, in refectorio, præ gaudio ridens & gestiens, cum alioquin præstandum esset silentium, in hæc verba erupit: Ha ha he, iam tandem venit desiderabilis ille, qui dignis modis tractabit vos Monachos & Sacrificulos. E vestigio quoq; scripsit Epistolā hortatoriā ad Lutherum, vt strenuè pergeret, quam amissam se decem aureis redempturum affirmavit, quòd magno spiritu scripta, & dulciss; consolationibus plena fuisset.

Demonstravi hætenus satis, vt opinor, Lutherum diuinitus vocatum & missum esse. Qui igitur huius diuini organi scripta non legit, aut contemnit, is haud dubiè ipsum Spiritum sanctum, per virum istum loquentem & scribentem, aspernatur, & grauius in Spiritum

Oratio M. Conradi

Ita causa
Sanctum peccat. Quo, quid potest dici atrocius?

Digna deinde sunt accurata lectione scripta Lutheri, quod singulari dexteritate & felicitate precipuos articulos doctrinae Christianae explicant, & efficacissimas consolationes in omni generis ærumnis continent. Doctrinam de Deo & tribus personis Diuinitatis, deq; hypostatica vnione duarum naturarum in Christo, cum in alijs libris suis, tum imprimis in explicatione nouissimorū verborum Davidis, concionis Christi ante agonem, & passim in Commentario in Genesin, verbis proprijs & elegantissimis tradit.

Creationis articulus nunquam à quoquam tanto splendore & elegantia illustratus est, sicut in Genesi LUTHERI, & expositione Psalmi 65. & alibi est factum.

Verum vsum legis diuinæ, & eius discrimen ab Euangelio, densissimis tenebris in Partu obrutum & planè sepultum, fidelissimè in multis diuersis scriptis monstrauit, præcipuè in Epistolam ad Galatas, in Disputationibus, quas in vnum volumen congestas posteritati diligentissimè commendat Dominus Philippus Melancthon.

Doctrinam de peccato originis, & seruo arbitrio in libro contra Erasmus, Postillis maiori

Portæ, de Luthero.

ioribus, & Psalmo quinquagesimo primo, ac alijs Psalmis pœnitentialibus, sicut & passim in confessionibus publicis grauissimè exposuit.

Locum Iustificationis, de quo altissimum multis seculis silentium fuerat in templis, scholis, & collegijs Canoniorum & Monachorum, adeò repurgauit & illustrauit, in enarratione Epistolæ Pauli ad Galatas & alibi, vt à temporibus Apostolorum non fuerit clarior & dilucidior. In isto loco inculcando totus fuit: In corde meo, inquit, iste vnus regnat articulus, scilicet Fides CHRISTI, ex quo, per quem, & in quem, omnes meæ die noctuq; fluunt & refluent Theologicæ cogitationes, nec tamen comprehendisse me experior, de tantæ altitudinis, latitudinis, & profunditatis sapientia, nisi infirmas & pauperes quasdam primitias & veluti fragmenta.

Bona opera verè sic dicta, & à Deo ipso præcepta, ad gloriam eius & proximi utilitatem facientia, in tantum vrsit in omnibus scriptis suis, quantum nullus alius scriptor ante ipsum, explosis ficticijs operibus & traditionibus Monachorum, & totius gregis Pontificij, sicut vel vnico libro de bonis operibus, ac tot neruosis atq; eruditis præceptorum Decalogi expositionibus abundè demonstrari potest.

Oratio M. Conradi

Sacramētis. Baptismo, & Cœnæ Domini pri-
stinam dignitatem, & verum usum restituit, re-
iectis & resectis, quibus erant deformata, ad-
ditamentis ineptis, & explosis ficticijs ac sine
verbo Dei excogitatis pontificiorū sacramētis.

Infinitam confusionem & inextricabiles
labyrinthos doctrinæ de pœnitentia sustulit, mō-
stratis veris eius partibus, diligenter quoq; di-
stinxit in eo loco veros cultus ab hypocrisi tra-
ditionem humanarum. Hinc statim initio sue
causæ ad D. Staupitium scribit: Cū prius non
fuerit sermō in tota scriptura amarius mihi
verbum, quàm pœnitentia, nunc nihil dulcius
aut gratius mihi sonat quàm pœnitentia. Ita
enim dulcescunt præcepta Dei, quando non in
libris tantum, sed in vulneribus dulcissimi Sal-
uatoris legenda intelligimus.

Veræ Ecclesiæ signa, & verum caput ac
Pontificem summum Iesum Christum, disertè
monstravit, & Vicarium hætenus falso credi-
tum Antichristum Romanum, multis in locis,
in primis verò in libro contra Papatum à dia-
bolo fundatum, graphicè admodum depinxit.
Omnes quoq; Ecclesiasticæ Harmoniæ turbato-
res & hæreticos sui temporis, Enthusiastas cum
seditioso suo Monetario, Sacramentarios, Ana-
baptistas, Antinomos, Stenckfeldium, blasphemias

Portæ, de Luthero.

mias Mahometicas & Iudaicas, & reliquam diaboli synagogam, animo inuidiosissimo profligabat. In primis verò in nocentissimam Sacramentarij veneni Gangranom extant tot eius scripta, ut vix contra vllum Sæcliariorum genus maiore zelo Dei arserit, & verè ad pium quendam senem Bremensem concionatorem D. Iacobum Præpositum paulò ante mortem scripserit: Beatus vir, qui non abiit in consilio Sacramentariorum, nec fletit in via Cinglianorum, nec sedet in cathedra Tigurinorum.

Rectissime igitur indicavit D. Doctor Z O C H I V S senior, Archiepiscopi primatus Magdeburgensis consiliarius, lectis prioribus libris contra Sacramentarios, inquit: Nunc primum video hunc virum (Lutherum) à spiritu sancto illuminatum esse, & ab eodem regimine enim ex pontificijs scriptoribus tantum præstare potuisset, ideoq; relictis ipsorum vanitatibus & ipse Euangelij doctrinam amplectar.

Statum politicum in expositione Psal. 101. ut de alijs nihil dicam, mirificè exornavit: Coniugium & sexum muliebrem à spurcissimis criminationibus & calumnijs Monachorum, & aliorum impurorum scriptorculorum gravissime vindicavit. Deniq; contra secundæ tabulæ omnia & singula peccata, singulos ferè libros scripsit.

Bb 4 Ut.

Oratio M. Conradi

Ut, contra seditionem rusticorum, scortationes, rixas, &c. Usuras, duabus vicibus acerrimè taxauit, semel initio Euangely, & iterum paulò ante obitum suum.

Præter doctrinæ capita, leuiter tantùm à me perscripta, efficacissimas quoq; consolationes, & præsentissima ἄντιδοτα aduersus omnis generis mala continent. Monachi & Sacrificuli insulsi in consolationibus tantùm inculcarunt sua, vel aliorum ridicula & monstrosa merita, qua ratione plurimas teneras conscientias in desperationem coniecerunt. Noster autem Doctor, ipsum consolationum fontem I E S U M Christum, & veracissimum eius verbum pauidis mentibus proposuit. Neminem sine consolatione dimisit, sicut ex multis suauissimis eius literis, ad diuersos diuersorum locorum homines scriptis apparet. Breuiter, nulla tentatio calamitasq; dici potest, cuius ipse non monstrauerit in scriptura sacra remedium, cum omnibus demonibus dimicauit, & nulla tentatio cogitari potest, cum qua ipse non fuerit conflictatus. Quis igitur nisi pietatis expers & mentis inops, tanti viri salutare libros aspernaretur?

III. Causa Tertiò, eo nomine plurimum tribuendum est scriptis Lutheri, quòd non ita proijciunt ampullas, & sesquipedalia verba, vt amphora
insti

Portæ, de Luthero.

instituat, & currente rota, vel vrceus exeat: sed propriè & perspicuè cum gravitate, cordato Theologo digna, de rebus præsentibus bono ordine differunt. Ideoq; Illustrissimus Heros, excellentissimiq; iudicij Princeps, & constantissimus IESU Christi Confessor & Martyr, Iohannes Fridericus primus, Elector Saxonie, in sua captivitate libros Lutheri diligenter legens, & relegens, non dubitavit affirmare, præsentem M. Iohanne Aurifabro, Theologo clarissimo: Lutheri scripta hoc habere proprium, ut penetrent corda, & afficiant intimas medullas, relinquantq; aculeos in pectoribus legentium. Et propterea unam pagellam eius viri, plus continere solidæ doctrinæ & efficacis consolationis, quàm integros octerniones aliorum Theologorum: Et Albertus Durerus, celebris olim Noribergæ pictor, verè & sapienter dicere solitus est: se propterea legere libentiùs Lutheri libros, quòd statim perlectis tribus vel quatuor periodis, scire posset, quid expectandum sit in toto opere, cum in alijs perlecto integro volumine, attentè cogitare oporteat, quid sibi voluerit autor, & quis sit scopus scripti?

Hæc iudicia summorum virorum verissima fuisse, res ipsa loquitur, econtra nemo pius ignorat, quàm inepta & confusa scripta assentato-

Oratio M. Conradi

res Pontificij ante Lutherum ediderint, quæ
nec verba conuenientia, nec res vtilis continet?
& in quibus non solum non illustrarunt monu-
menta Prophetica & Apostolica sed sordibus et
cæno potius obruerunt ac inuoluerunt.

Lutherus autem noster ex vera sermonis
significatione sententiam veram & firmam ex-
truxit, non affinxit peregrinas: sed res veras et
vtilis bono genere sermonis propriè & neruo-
sè exposuit. Et quanquam in latinis scriptis non
semper vitur lenocinijs verborum, ac sucto
& asciticio ornatu: tamen genus sermonis ha-
bet non barbarum aut horridum, sicuti multi
semidocti mentiuntur, sed ad simplicitatem &
grauitatem textus Bibliorū accommodatū. De-
bet enim Theologus potius cum Spiritu sancto, et
oratoribus Prophetis & Apostolis, quam cum
Cicerone aut Terentio loqui; etiamsi in suo foro
isti quoq; mereantur suam laudem & admir-
tionem. In Germanica verò lingua tanta est
eius eloquentia & orationis grauitas ac splen-
dor, vt parem ante hæc tempora non habuerit.
nec facile sit habiturus superiorem in posterum.

Idem mecum affirmat, nobiliss: nostri tempor-
is historicus, Iohannes Sleidanus, qui lib.
16. de Luthero scribens, inter cætera inquit:
Germanicam certè linguam & exornauit plu-
rimam,

Portæ, de Luthero.

rimum, & locupletavit, & primam in ea laudem obtinet. & ea vertit è latino sermone, quæ verti non posse putabantur, & significatissimis utitur verbis maximeq; proprijs, & vnica voce rem nonnunquam ob oculos ponit. De Pontifice quodam in loco scribit, quemadmodum Cœnam Domini prophanauerit, & Missam applicari iusse: it etiam pro mortuis; & ait, eum penetrasse cum sua Missa, non modò per omnes angulos totius orbis Christiani, verùm etiam in Purgatoriũ ipsam, sed utitur voce germanica, quæ tibi strepitum illum representat, qualis excitari posset, si mortuorum ossa, certis locis et distincte composita, subito quis & magna vi concutiat ac impellat, aut globum in illa contorqueat. Hæc Sleidanus. Si igitur M. Ciceronem Romanæ eloquentiæ & Latine linguæ principem iure appellamus Lutherum nostrum, rectissime patrem germanici Idiomatis dicimus.

Quanta quæso est obscuritas & barbaries in libris & literis antiquis? Exemplo nobis sunt Biblia germanica in Papatu usurpata, Vbi primus versus Psalmi 2. Quare fremuerunt gentes? &c. redditus est his verbis: Warum greiffen Gantze die Heidē. Et conspicitur similis improprietas, & barbaries in alijs mille locis. Quætæ etiam ineptiæ audiuntur hodie in concionatorib.
quæ

Oratio M. Conradi

qui nescio quas phrasas aulicas admirantes & usurpantes, cum Luthero communi more loqui nolunt? Nonne seipsos deridendos & contemnendos auditoribus propinant? Quàm ridiculi sepe sunt ipsi scriptorculi & nasutuli aulici, in comminiscendis inusitatis & prodigiosis vocabulis & formulis loquendi?

Imo certò constat, initio doctrinæ Euangelicæ, multos Principes sapientes, vehementer alioquin abhorrentes à doctrina Lutheri, libros ipsius emisse, & legendos proposuisse scribis & alijs ministris aulicis, ut proprias & verè germanicas phrasas inde discerent. Quare omnes, qui commodè etiam in vernaculo sermone loqui volent, Lutherum accuratè legant & imitentur.

IIII. Causa Quartò, Calcar ad diligentiam omnibus pijs lectoribus librorum Lutheri, & hoc addere debet, quòd istius Viri scripta, tam veterum quàm recentium Doctorum monumenta, longo interuallo post se relinquunt, ac in rebus & oratione superant. Imò recentiores scriptores et Doctores sepe retinent verba & res Lutheri, idq; sibi laudi ducunt illi, quos non pudet Preceptoris sui charissimi & optimè meriti: ut non immeritò Oceanus Theologiæ nostri temporis (quod nomen Theodoretus libris MOSI tri

Portæ, de Luthero.

tribuit) appellari possent. Sicut enim ex Oceano fluuij omnes, & maria omnia deriuantur: Ita reliqui Scriptores, riuulis Lutheri suos hortulos suauiter irrigant. Neq; verò hoc tantum fit inter Lutheranos, sed etiam apud ipsos Pontificios, qui ex Lutheri fontibus hauserunt, quicquid boni & sani in explicatione sacrarum literarum tradiderunt vnquam, quod velint, nolint, cogentur fateri omnes sana mente præditi. Ne quis autem præcipitantiæ in iudicando, me iure accusare posset, præcipuos nostri seculi Doctores, suis ipsorum verbis de Luthero, scriptisq; eius loquentes, audiamus.

Summi ingenij & doctrinæ incōparabilis vir, D. Philippus Melanchthon, qui mirabili Dei gubernatione statim anno Christi 1518. Luthero adiunctus fuit, & ab eo syncera Theologiæ cognitionem accepit, sicut ipse in testamento, Ratisbonæ anno 1549. in morbo, vt videbatur, lethali, condito (Lutherum præceptorem suum agnoscens, eiq; suos liberos commendans) hoc testatur. Is, inquam, instituere solitus fuit (referente M. Iohanne Mathesio seniore) collationem Theologorum in Academia Vitebergensi, & D. Iohannem Bugenhagium Pomeranum, Grammaticum vocauit, quòd in enarratione sacrorum librorum,

Em/

Oratio M. Conradi

emphasin verborum & phrasas exactè ponderaret, & trutinaret: seipsum Dialecticum dixit, quòd precipua & maximè evidentia argumenta erueret ex textu, & probè consideraret, quomodo alia ex alijs colligi & extrui queant: D. Iustum Ionam Rhetorè appellauit, quòd splendide & ornatè de materijs propositis disserere potuerit. D. verò Lutherum omnia in omnibus esse affirmavit, versumq; Aristotelis, de præceptore suo Platone, sæpe de Luthero usurpauit:

Nulla ferent talem secla futura virum.
In libro cuiusdam, sequentem Lutheri imagini, versiculum, propria manu subscripsit:

Fulmina erant linguæ, singula verba tuæ.
Idem de Erasmo Roterodamo in præfatione Tom. 3. operum Lutheri, scriptum reliquit: Scio Erasmus solitum dicere: Neminem esse interpretem dexteriores omnium, quorum extant literæ, post Apostolos. Et audiui ipse sapientes & graues viros & doctrinam Ecclesiæ intelligentes, idem de Luthero prædicare. nec obscura res est, iudicium & candorem in lectione adhibenti.

Huc pertinet, quod Tom. 2. Ienensi lat. fol. 333. scribitur: Oratores Pontificij, Marinus Caracciolus, & Hieronymus Alexander, promiserunt

Portæ, de Luthero.

serunt Erasmo Rotterodamo, verbis Pontificis, pinguiſſimum Episcopatum, si pro Pontifice, contra Lutherum scripturus esset. Quibus reſpondit Erasmus: Maior est Lutherus, quam ut in illum scribam ego. Maior est Lutherus, quã ut à me intelligatur. Planè Lutherus tantus est, ut plus erudiar & proficiam ex lectione vnius pagelle Lutherane, quam ex toto Thoma.

Vera quoq; est vox disertissimi Theologi Dn. Doctoris Iusti Lonæ, dicentis: Lutherus, quicquid voluit, potuit.

D. Nicolaus Amſdorffius vir nobilis, eximia pietate, constantia, & eruditione clarus, in præfatione primi Tomi lat. Ien. scripsit: Quod si veritas ingenuè & aperte exponenda est, ipsa collatio enarrationum, me in hanc duxit sententiam, ut existimem, omnes commentarios veteres, & recentes, etiamsi in vnã massam conflentur, & id quod optimum est, ex eis decerpatur, non tamen cum huius viri scriptis conferri & comparari posse. Non ignoro, quã glorioſè hæc dici videantur, et quã multos hoc encomion Lutheri offendat, sed quoquo modo alij de hac constanti asseueratione iudicent, ego sic statuo: Neminem tanta præditũ sapientia, fide, constantia, post Apostolos fuisse, aut deinceps futurũ esse, quantã in reuerẽdo viro D. Luthero

con

Oratio M. Conradi

conspeximus, non sine ingenti donorum Dei admiratione, nec dubito, quin pia posteritas idem iudicatura sit, senibus, qui nunc Ecclesias regunt, ex hac mortali vita euocatis.

D. Iohannes Brentius, ipsius Lutheri testimonio, Theologus summus, & de Ecclesia Dei optimè meritus, in Proœmio commentarij Epistolæ Pauli ad Galatas posuit verba sequentia: Dicam quod res est, in quodcunq; vite genus oculos conijcio, occurrunt beneficia, quæ Deus nobis per Lutherum clementer præstitit. In Ecclesia, quod abolitis impijs sacris, Lex & Euangelion, hoc est, vniuersa doctrina ad salutem necessaria, verè explicatur, Sacramenta administrantur, nomen Dei verè inuocatur, Psalmi vtiliter cantantur, beneficium Dei est, per Lutherum, inuitis omnibus Pontificibus & Monachis, in nos collatum. In SCHOLA, quod abiectis impuris & impijs Sophistarũ somnijs, sacra scriptura, ad quam rectè cognoscendam omnia studia nostra referenda sunt, purè & syncerè traditur, debemus auctori DEO, per ministerium Præceptoris nostri Lutheri. In Politia, si bona conscientia leges administraueris, & gladium gestaueris, acceptum ferendum est ei doctrinæ, quam de politico Magistratu illustrauit Lutherus. In Oeconomia, quid non molestia,

Portæ, de Luthero,

ſiæ, quid non perturbationis animi, continget tibi, vel ex coniugio, vel ex agricultura, vel ex opificio, vel ex mercatura, vel alijs domesticis operibus, non tantum ſeruilibus, verum etiam paulò liberalioribus, ſi non ea doctrina, quam fidelis Chriſti ſeruus Lutherus, magna dexterritate expoſuit, eruditus fueris? Deniq; ſiue noſtra publica, ſiue priuata reſpicias, verſantur vbiq; ante oculos beneficia, quibus filius DEI per Lutherum clementer nos affecit.

Doctor Vrbanus Regius excellenti pietate, eruditione, & grauitate præſtans Theologus, ad quendam amicum Auguſtæ tum agentem, ſic ſcribit: Cùm Saxoniam peterem, Coburgi integrum diem ſolus cum Luthero, viro Dei, tranſegeram, quo die nullus mihi fuit in vita iucundior. Talis enim ac tantus eſt Theologus Lutherus, vt nulla ſecula habuerint ſimilem. Hòc magis execror ſtultitiam & arrogantiam Carolſtadianorum, qui ſibi placent, quaſi Luthero queant conferri, cuius vmbra non aſſequuntur, cum omni eruditione quam iactant: ſemper mihi magnus fuit Lutherus, at iam mihi maximus eſt. vidi enim præſens & audiui, quæ nullo calamo tradi poſſunt abſentibus.

Idem in Epistoſa ad fratres in Chriſto ſuos, in ſuperiori Germania agentes: Ego forſitan in iudicanda vera doctrina non omnino truncus, ſic iudico; Neminem eſſe qui poſſit odiſſe Lutherum,

Oratio M. Conradi

rum, si eum nouerit. Inducant libri spirituum Lutheri, sed si propius inspexeris hominem, se de rebus diuinis audieris ipsum Apostolico spiritu differentem, tum dices: Vincit presentia famam. Maior est Lutherus, quam ut a quouis sciolo possit aut debeat iudicari: vide quam magna Dei gratia sit in hominis scriptis, cuius certe me non pudet. Dicam quod sentio, scribimus quidem passim & tractamus scripturas, absit inuidia verbo, sed Luthero collati discipuli sumus. Hoc iudicium non ex amore fluit, sed potius amor ex iudicio. Neminem contemno, malo contemni quam laudari, sed rursus contemni Lutherum electissimum illud Spiritus sancti organum non patiar.

D. Hieronymus VVellerus Theologus grauissimus, & felicissimus D. Lutheri discipulus & imitator, in quadam Epistola ad virum reuerendum & clarissimum, D. Paulum Eberum scripta, his verbis utitur: Illud in primis mihi placet, quod ostendis, te D. Lutheri sententiam de hoc articulo Christianae doctrinae (de Cæna DOMINI scilicet) amplecti et magnifacere. Nam mihi omnes scriptores Ecclesiastici, quantumlibet eruditi, qui non Lutheri vestigijs insistere student, suspecti sunt. Certus enim sum, nunquam exoriturum esse, qui eum felicitate docendi, ac dexteritate interpretandi scripturam sacram, & spiritum victurus sit.

Portæ, de Luthero.

*Sit. Nec vereor ipsum, quod ad dona & cer-
tamina pertinet, cum Apostolo Paulo conferre;
certè diuina sua eloquentia ipsum vas electio-
nis superare videtur. Ego, qui tot annis virum
Dei audiui, & scripta eius assidue legi & rele-
gi, nunc demum incipio illū rectè admirari, ma-
gnifacere & intelligere, ac doleo, quòd non dili-
gentiùs ipsius monumenta euoluerim. Hæc ille.*

*Plura videat de Lutheri donis, qui volet, in
præfatione Tractatus de modo concionandi, &
commentarijs in libros Regum eiusdem D. Hie-
ronymi V Velleri.*

*D. Ioachimus Mörlinus, magni nomi-
nis Theologus, ad reuerendum virum, S. Theo-
logie nunc Doctorem, Timotheum Kirchner-
rum scribens, tale suis literis inserit elogium:
Hoc scio, ac certus sum, Lutherum maiorem
esse omnium hominum opinione, eum mirari
possum, sed nec lingua nec calamo altitudinem
vel amplitudinem huius diuini Organi, quasi
per vmbra[m] exprimere. Intellego autem hoc in-
gens esse DEI beneficium, quòd pro sua im-
mensa & incredibili bonitate hoc mihi largitus
est, vt hoc ipsius donum (cum quo omnes the-
sauri totius orbis terrarū collati, stercorea sunt)
magna veneratione non suspiciam solū & di-
ligam, verū etiam in præcordijs amem &
exosculer.*

Quanti autem & ipse D. Doctor Timo-
C C 2 *theus*

Oratio M. Conradi

theus Kirchnerus, S. Lutherum eiusq̄ scri-
pta faciat, testantur thesauri, verè sic dicti,
vtraq̄ lingua, ex monumentis Lutheri, multo
labore & studio collecti, ac præfationes proli-
xè commendantes tam ipsum autorem quàm
libros eiusdem, vt interim de copiosissimo indi-
ce Tomorum Germanicorum, Ienæ impressorum,
ab eodem confecto, nihil dicam.

Meritò etiam cum his coniungitur episto-
la dedicatoria, Lutherano & constante Theolo-
go digna: quam proposuit Confessor celeberr-
mus & cruce multa exercitatissimus Doctor
Tilemannus Heshusius, libro doctissimo &
vtilissimo, de vera IESV Christi Ecclesia, &c:
in celebri Academia IENENSIS annis su-
perioribus edita, & inscripta Nobilissimo &
amplissimo viro, D. Andreæ à Meiendorff,
Lutheranæ Theologiæ admiratori & defensori
singulari, eiusq̄ discipulorum verorum nutri-
cio liberalissimo & optimo.

Cœlius Secundus Curio, homo pietate
& egregia eruditione præstans, pro vera &
antiqua Ecclesiæ autoritate contra Florebellum
scribit: Verùm nihil ista iam Lutherus curat,
quippe qui in Christo, vita illa beata, tranquil-
litateq̄ perpetua fruitur. Dum namq̄ Flore-
bellus librum edit suum, & nos ad eum nostrâ
instituimus defensionem, quæ grauissimis de
caussis in hoc est dilata tempus, nuntium de
D. Mar

Portæ, de Luthero.

D. Martini Lutheri morte est allatum, ex quo opinione omnium maiorem animo cepimus dolorem. Nam & tali viro amisso, cum consuetudine iucunda, tum multorum consiliorum grauitate nos priuatos videbamus, & interitu tanti Theologi dignitatem nostram diminutam, & aduersarios letari dolebamus. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriæ, graue pijs omnibus: Sed quoniam perpetua quadam in Evangelio propagando felicitate vsus, ille piè placideq; cessit è vita, suo magis quàm Ecclesiæ tempore, & tum migravit ad Christum, cum lugere faciliùs suam Germaniam posset, si viueret, quàm iuuare, æquiore animo illius desiderium mihi ferendum esse videtur: Nam ij statim casus secuti sunt, vt mihi non erepta Martino Luthero à Deo immortalis vita: sed vt meliore vita fruere, donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Germaniam, non eiusdem libertatem & decus in extremum discrimen vocari: non extinguendam religionem, pro qua tantum ipse primùm laborauit, Romana arma in Germaniam illata, non patriam à vicinis turpiter inuadi: non cedes crudelissimas: non deniq; deformatam eam ciuitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria præstitisset.

Quanquam hæc omnia cum antea sæpè, tum biduum ferè, antequam è vita discederet,

Oratio M. Conradi

animi quadam diuinitate presagire visus est. Orare enim Deum, qui secum erant, iussit, ut is ad Ecclesiam suam defendendam exurgeret, sibi videri ex Tridentino Concilio ignem valde magnum accendi. Ego verò Martinum Lutherum cum rebus pro Christi gloria præclare gestis, tum mortis oportunitate, diuino consilio & ortum, & ex hac turba & colluione sublatum arbitror. Quamobrem, hunc grata memoria potius, quam misericordia prosequamur, ut quotiescunq; de clarissimo & sapientissimo viro cogitemus, ad eius præclaram virtutem imitandam accendamus.

Iohannis Sleidani Historiographi præstantissimi tale extat de Luthero iudiciũ: Veritas est filia temporis. Quas ergo satis magnas agemus gratias omnipotenti Deo, qui suæ veritatis lucem tot annis extinctam & oppressam, nostris temporibus rursus accendit, per ministrum suum Martinum Lutherum? Certè nisi beneficium hoc tam magnum agnoscamus & reuerenter amplectamur, quem alium finem expectamus, quàm ij, qui ad nuptias inuitati cum alius alia de causa non venirent, in tenebras abiecti fuerunt: sed & grata sit nobis & iucunda Lutheri memoria, quem Deus cū tantæ rei destinasset, maximis donis exornauit, ingenio præstantissimo, eloquentia incomparabili, rerum sacrarum cognitione summa, & animi robo-

Portæ, de Luthero.

robore incredibili. Nam ei, qui Diabolū & Antichristum esset oppugnaturus, qui totum propè terrarum orbem esset habiturus aduersarium, frontem dedit adamantinam, Ezech. 3.

Deniq; doctissimus & clarissimus vir M. Michael Neander, in sua illa luculenta, in Catechismum Lutheri Gracè versum, præfatione, inquit: Aliorum Theologorum scripta politiora fortè sunt, ac habent multi alij viri præstantes & ipsi sua dona, quæ magnum Dei beneficium sunt, grato pectore prædicanda & cognoscenda, horumq; scripta legenda: sed cum Lutheri libris, dictis, & concionibus non cõferenda sunt, nedum his anteferenda. Idè paucis omnia complectens ibidem inquit: Lutherus fuit increpando formidabilis, consolando amabilis, admonendo grauis, confutendo intrepidus, orando ardens, edificando indefessus, credendo inimitabilis, viuendo inculpabilis, patiendo admirabilis, moriendo omnibus pijs relinquens sui desiderium.

Si verò aliquis obiicit: Illa quæ hætenus commemorata sunt, ab amicis & collegis eius ad placitum tantum dicta & scripta esse, Is legat septem illas præstantissimorum virorum Epistolas, initio renascentis Euangelij, anno nimirum supra millesimum quingentesimum, decimo octauo & decimo nono, de negotio Lu-

Oratio M. Conradi

therano, eiusdem libris & concionibus scriptas, & primo Tomo Ienēsi insertas. Ego propter adolefcentes, libris istis destitutos, pauca (brevitati studens) inde decerpam.

Doctor Staupitius summus eo tempore vir, & Ordinis Augustiniani Vicarius, initio statim ad Lutherum dixit: Hoc mihi placet, quòd hæc doctrina, quam prædicas, gloriam, & omnia, soli Deo tribuit, hominibus nihil. Deo autem (id quod luce clarius est) nimium gloria, bonitatis &c. attribui non potest.

Cardinalis Sedunensis, cum ipsi oblatæ essent lucubrationes Lutheri, statim dixit: Luther tu verè es Lutter (sive Lauter, purus, candidus, apertus.) Idem, cum quispiam mitteret Eccñ propositiones, & adderet se victorianuncium, quam Eccius Lipsiæ contra novam doctrinam sit obtenturus, statim allaturū, respondit: Disputet Eccius quantum velit, Lutherus veritatem scribit.

Reuerendi viri D. Iohannis Poduscka, Presbyteri iurati Ecclesiæ Cathedralis, beatæ Mariæ virginis, PRAGÆ, ante latam curiam, hæc extant ad Lutherum verba: Vnum hoc in te miramur, quòd inter tot Euangelicæ veritatis æmulos, doctrinam Christi & Apostolicam, liberè & publicè prædicare nequam ad dubites, oblitus interim tot calumnias, maledicæq; plurimorum verba, quibus quicquid

Portæ, de Luthero:

quid non placet, illicò hæreticum esse oportet; homines mente corrupti, & ad omne opus bonum reprobis, non intelligentes (vt verbis Apostoli vtar) neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmant. Idem, post prolixam collaudationem & gratulationem concludit: Mi frater Martine, confortare in Domino, & esto robustus venator Pseudoapostolorum. Christus veritatis Dux & Magister, in exemplum vendentes & ementes de templo eijcit, vt nos sequamur vestigia eius. Non tibi deerit auxilium de super. Sūt in BOHEMIA plurimi fideles Deo & cari, qui te noctes diesq; orationibus adiuuant, Tu modò tibi ipsi non desis &c.

Iohannes Frobenius nobilis olim in inclyta Basilea Typographus, in hæc verba ad Lutherum scribit: Libellos varios à te elucubratos, & doctorum omnium iudicio probatos, typis meis excudi, ac sexcentos in Galliam misi, & in Hispaniam: Venduntur Parisijs, leguntur etiam à Sorbonicis, & probantur, quemadmodum amici nostri nos certiores reddiderunt. Dixerunt illic doctissimi quidam, se iam pridem talem libertatem desiderasse, in his, qui sacras literas tractant.

Idem de Caluo quodam Bibliopola Papiensi eruditissimo & Musis sacro, ibidem affirmat: Quòd promiserit, ab omnibus eruditis in Gallia viris Epigrammata se missurum in Lu-

Oratio M. Conradi

theri laudem scripta. Addit etiam paulò post:
Hic ut quisq; est optimus, ita tui maxime est
studiosus, & concludit tandem: Exemplaria
nostra nos vsq; ad decem vendidimus omnia,
haud feliciorẽ venditionem in aliquo libro
sumus vnquam experti.

Grati quoq; sint adolescentibus versus reue-
rendissimi & doctissimi viri D. Petri Pauli
Vergerii, Episcopi olim Iustinopolitani, Legati
Pontificis ad Electorem Fridericum, in causa
Lutheri, quos amplexus Euangelium, compos-
uit Anno 1559. die 9. huius Mensis, cum in-
grederetur in hoc oppidum:

Felix ISLEBIVM LVTHERO alumno,
Cuius gloria maior est eorum,
Ausim dicere, qui ante nos fuerunt
Annis millibus atq; bis ducenris.

Recitavi in quarta hac causa prestantissi-
morum aliquot virorum de D. Luthero, eius
doctrina & scriptis iudicia, non quòd existimẽ
artis esse aliorum dicta transcribere, eaq; pro
suis vsurpare, alienisq; plumis se ornare: sed
propterea hac protixius inserui, vt autoritas
& sententia tantorum virorum, pudorem ex-
torqueret leuibus & impudentibus Zoilis &
Sciolis, qui dum alijs ingratitudinem erga Præ-
ceptores perpetuò obganniunt, ipsi nefaria &
scelerata ingratitudine, virum Dei, Præcepto-
rum summum suum, eiusq; sanctissimos labores
cav.

Portæ, de Luthero.

carpere, & ignominiosis appellationibus traducere non verentur. Deinde tot iudicia etiã propter pios adolescentes, collegi libentiùs, vt auditis tot gravissimorum virorum sententijs, à primis statim annis, Lutheri scripta magnifacere, & admirari discant, eaq; quacũq; oblata occasione diligenter legant, atq; illos in pietate non parùm profecisse sciant, quibus Lutheri monumenta, æterna memoria dignissima, vehementer placuerint: nec audiant, imò angue peius oderint, ac fugiant impios illos & effrontes homines, qui allegantibus auctoritatem Lutheri in controuersis religionis, obscæno ore obijcere non verentur: Vos nimidm extollitis Lutherum, Vos demum adorabitis stercora eius. Illos enim Deus grauitè puniet.

Quinta causa assidue lectiois esse debet, Lutheri ipsius & doctrinæ per eundem instauratæ, inter tot myriades hostium & periculorum, miraculosa conseruatio & progressus. Suscepit ille hoc negotium solus, solo Deo & conscientia bona fretus, nullis principum aut potentum defensionib; nixus, Ideoq; cum quidam rabulæ (vt ipse loquitur) garrirent: Electoris Friderici esse totum negotium in inuidiam Archiepiscopi Magdeburgensis susceptum, scripsit ipse ad Spalatinum hoc modo: Ego mei causa Principem in suspicionem venire ægerrimè o-

minis

Oratio M. Conradi

minino fero, & inter tantos principes ortū dis-
sidiū esse, valde horreo & timeo. Et alibi: Nolo
in hac re Principem nostrum innocentissimum
quicquam facere, quod propositiones meas de-
fendat, sed offerri & obijci omnibus, quicumq;
contra me agere & scribere voluerint, meum
volo esse periculum totum, spero me pulchrè de-
fensurum ea, quæ defendenda suscepi, inuitis
(vt Christo Duce glorier) omnibus opinionibus
Thomistarum. Similiter cum Ulricus Hutte-
nus nobilis Franciæ doctissimus & fortissimus,
Franciscus à Sickingen, Cronibergius,
& alij nobiles plurimi, spontè se offerrent ad
defensionem eius, respondit ipse: Nollem vi &
cæde pro Euangelio certari: Verbo victus est
mundus, verbo seruata est Ecclesia, etiam ver-
bo reparabitur: Sed & Antichristus vt sine
manu cœpit: ita sine manu conteretur per Ver-
bum. Hic addere rectè possumus: Verbo etiam
sine manu seruatus est Lutherus. Dixerat
quidem Episcopus Brandenburgensis, se non
reclinaturum caput suauiter, nisi in ignem
conijciat Martinum: sed Lutherus, Deo pro-
tegente, mansit superstes Episcopo impio subla-
to, multis annis.

Anno 1518. Cum Augusta à Caietano &
asseclis structæ essent ipsi insidiæ, noctu dimissus
est per portam quandam angustam à pio sena-
tore Christophoro Langemantel, sicut D. Paulus
Damasii.

COR-

Portæ, de Luthero:

Conducti quoq; fuerunt ab hostibus, multi Sicarij, & Iudæi, qui pro Medicis se venditantes, veneno necarent ipsum, sed aut manifestata sunt sanguinolenta consilia, aut, si quid lethale bibit, non nocuit ei, iuxta promissionem Christi, Marci ultimo.

Deniq; doctrinam Lutheri impugnarunt Doctores Pontificij priuati, Tetzelius, Eccius, Siluester Prierias, Emserus, Murnarus, Catharinus, Alueldius, Hochstratus, Latomus, Erasmus, & alij innumeri. Deinde Collegia integra Monachorum, Academia item, vt Parisiensis, Ingolstadiensis, Coloniensis, Louaniensis, Lipsensis. Postea Pontifices, Cardinales, Episcopi. Deniq; Comites, Duces, Reges, Imperator, & totum adeo Imperium Romanum, sed Dei præclaro & stupendo beneficio adhuc stat & permanet inuicta, contra pontificia fulmina terribilia & gladios strictos principum iratorum, ac quò magis premitur & calcatur, eò magis sese effundit & dilatatur. Ideò seculum prius hoc eleganti Disticho acclamauit illud lætissimum Hosianna:

Sceptrum, Bulla, Scholæ, Regis, Papæ, Monachorū,
Vni L V T H E R O nil sociata nocent.

Adolescentes quoq; obseruent dulcissimos optimi Poëtæ STIGELII, de L V T H E R I certaminibus & hostibus versiculos:

Hos

Oratio M. Conradi

Hei quibus infidijs monitor, quibus ille periculis,
Qua fuit extra omnem fraude petitus opem?
Dum pugnant odijs qui miscent sacra profanis,
Ante homines ficta qui pietate tument.
Dum toties capiunt crudeliter arma Tyranni,
Dum toties Itala fulmen ab arce venit.
• Ille sed intrepidus vel regum ante ora potentum,
Quod docuit coram forriter asseruit.
Non alia est homini reparandæ causa salutis,
Qua terræ, & cœli machina tota pater,
Quam mera per Christum cœlestis gratia patris,
Quæ recipit viua corda renata fide.
Hæc sola & propria est vnius gloria CHRISTI,
Nil valet hic proprijs viribus omnis homo.
Hæc ita cum grauitè mundo stomachante doceret,
Dogma Dei mundo res odiosa fuit.
At Deus adiuuit propriæ certamina causæ
Asseruitq; suum fautor & autor opus.
Si itaq; mirandam Dei præsentiam & conseruationem habemus pro ueritatis certitudinis in doctrina: Lutheri quoq; doctrinam tanquam certam & immotam amemus & diligenter legamus.

Postrema causa est, insignis Lutheri in semel agnita & asserta doctrina *παρρησια* & constantia: Quam nihil curauerit indignationem, odia & conuitia Doctorum & sapientum huius mundi, ex literis ad Staupitium suum apparet: Ego, ut mihi conscius sum, inquit, non nisi syncerissimam Theologiam me docere: ita iamdiu præscius fui, fore ut sanctissimis Iudeis scandalum, & sapientissimis
Græc

Portæ, de Luthero.

Græcis, stultitiam prædicarem. Et alibi: Ego nihil moror moros & Mornos omnes, CHRIS-
TUS modò sit mihi DEVS propitijs. Mor-
tem & corporis pericula adeò non reformida-
uit, vt sapius expetiuerit. Cùm enim inclytus
& generosus Comes & Dominus noster, Do-
minus Albertus, laudatæ memoriæ, per D.
Langum monuisset illum, ne vllò modo egrede-
retur VViteberga, propter struèctas in uinere
à multis magnatibus insidias, qui suspendium
aut suffocationē in vndis minitarentur, ipse in
Domino letus, ad VVenceslaum Lincum,
quem dexterum Theologum appellare solet, scri-
bit: Fiat voluntas Domini sancta: quantò ma-
gis minantur, tantò magis ego confido: Vxori
meæ & liberis prouisum est: agri, domus, sub-
stantia cuncta disposita sunt: gloria & nomen
iam discerpitur: Vnum superest: imbecille &
fractum laboribus corpusculum, quod si abstru-
lerint, fortè duabus vel vna viuendi hora me
pauperiorem facient, animam verò non aufer-
rent. Et ibidem: Scio verbum Christi ab initio
mūdi, eius esse genij, vt qui id in mundo voluerit
portare, necesse sit cum Apostolis, eum, relittis
renunciatisq; omnibus, omni hora mortem ex-
pectare, Quod nisi esset, verbum Christi non es-
set: morte emptum est: mortibus vulgatum,
mortibus seruatum, mortibus } seruandum
aut

Oratio M. Conradi

aut referendum est, sic enim sponsus noster
sponsus sanguinem nobis est.

Memorable & illud est, quod ad D. Phi-
lippum Melanchthonem ex Pathmo sua
scripsit: Toties de fide & spe rerum non appa-
rentium locuti sumus: age semel vel in modi-
co eius doctrinae periculum faciamus: quando
id, vocante D E O, non nobis tentantibus, ita
contigit: Ego etiamsi peream, nihil peribit Eu-
angelio, in quo tu nunc me superas, & succedis
Helisæus Heliae, duplo spiritu, quem tibi Do-
nus Iesus impertiat clementer. Item illud,
quod Tom. 2. lat. fol. 506. scriptum reliquit:
Confido instare diem illum, quo destruetur re-
gnum illud abominationis & perditionis: Vti-
nam nos primi digni simus, vel exuri, vel oc-
cidi ab eo, quo sanguis noster clamat & urgeat
iudicium illius accelerari. Sed si digni non su-
mus sanguine testificari, hanc saltem oremus
& imploremus misericordiam, ut vita & vo-
ce testemur, quod Iesus Christus solus est
Dominus Deus noster, benedictus in secula
seculorum, Amen.

Non autem in labijs tantum, sed in ipso
corde nata fuisse hæc verba, historia eius &
experientia testatur. Nonne ingenti spiritu, &
incredibili animi magnitudine, in diuersis locis,
coram potentissimis & sapientissimis rationem
sue

Portæ, de Luthero.

sua doctrinæ reddidit, & tam minas quàm blandimenta excelso animo contempsit?

Anno partus virginei 1518. Augusta, coram Caietano constanti animo comparuit, sed ad renocationem bene dictorum & scriptorum adigi non potuit.

Anno 1521. Cum ad comitia Vormatiensia accersitus fuisset, & cognouisset in itinere, suos libros contra fidem datam, publicis literis damnatos esse, amici eum hortati sunt, ut castè ageret, nec se in præsentissimum mortis periculum conijceret. ipse verò respondit: Ego vocatus, urbem ingredi decreui, etiamsi scirem, tot mihi oppositos Diabolos, quot sunt tegule in omnibus totius urbis tectis.

Simili postea constantia publicè coram Cæsarea Maiestate, & omnibus ordinibus imperij, ac priuatim coram Archiepiscopo Treuirensi, & principibus delectis confessus est, se non posse cedere, nec reuocare quicquam in libris suis, nisi testimonijs sacrarum literarum & rationibus euidentijs & clarissimis fuerit conuictus.

Anno 1530. Cum propter incertum comitiorum Augustanorum euentum, & quòd extrema Lutheranis omnib. interminati fuerant Põtificij, omnes essent in maxima trepidatione & metu, ipse ex Psalmo 46. lætissimus semper in Domino, cecinit:

Oratio M. Conradi

Si mundus hic dæmonibus
Scateret, sicut vermibus,
Non timeremus anxie,
Vincemus tandem strenue,
Princeps mundi superbiat,
Ringatur & insaniat,
Nocere nescit nebulo,
Cum victus sit vel verbulö.

Cum autem hostium externorum minis, & aperta vi animum eius frangere non posset Satanas, amicorum & collegarum, vt Carolstadij, Cinglij, Oecolampadij, Monetarij, Islebij & aliorum ἀποστασίου eum labefaciare conatus est. Sed ne hoc quidem scandalo acerbissimo deijci potuit. Etsi enim de falsorum istorum fratrum insperata & perfida defectione querulationes eius non pauca extant, vt verbi gratia, in fine Tom. 1. Latini, Vbi inquit: Plus est mihi iam negotij & periculi à nostris, quam à toto Papatu, qui posthac nihil poterit contra nos: tamen statim sese recollegit, & admiranda & inaudita constantia alibi scriptum reliquit: Etiam si decem essent mundi, qui à me meaque doctrina deficerent, atq; adeo intimi & admississimi mei amici apostatarent: ego tamen veram, quam profiteor doctrinam, nollem abijcere, sed eo fortiori animo Christum & eius doctrinam confiteri. In hac sententia perstitit vsq; ad extremum vitæ suæ halitum. Nam cum clarissimus vir, D. Iustus Jonas in hoc ipso oppido in agone

Portæ, de Luthero.

gone eum interrogasset, num vellet in doctrina, quam professus esset, perseverare? clara voce respondit, se constanter hoc facturum, atq; ita paulò post in Christo suo placidè obdormiuit. Tanta viri Dei diuina constantia vel maxime ad amorem doctrine & scriptorum eius nos impellere debet. Si enim D. Cyprianus tanti fecit scripta Tertulliani, vt quoties sibi à puero librum dari postularet, sit vsus hac voce: Da Magistrum: nos multo magis Lutheri, Præceptoris diuinitus nobis missi, monumenta, maximi facere, & accurato studio cognoscere debemus. Atq; hæc de prima orationis parte propter adulescentes dixi prolixius, vt sciant, quæ fuerit occasio certaminum Lutheri, & quis illorum progressus. Nunc sanè ad secundam partem, quæ dilueret obiectiones quasdam, accedendum foret, sed quia ad lectionem librorum Lutheri hortamur, & querere aliquis posset, qua ratione illud commode fiat: de modo quoq; legendi eosdem pauca commemorabimus, in quibus cum non sequamur nostrum solummodo iudicium, sed clarissimorum & sapientissimorum Theologorum censuram & sententiam proponamus, æquo animo, etiã hanc moram lauros pios auditores planè confidimus.

De ordine autem lectionis monumentorum Lutheri alij aliter indicant: Nonnulli

Oratio M. Conradi

censent retinendam dispositionem ipsius Lutheri in comitijs VVormatiensibus, anno 1521. suos libros in tres classes distinguentis: Quod nimirum primo loco aliqui sint (vt ipsius verbis vtar) quibus pietatem fidei & morum, ad eò simpliciter & Euangelicè tractarit, vt ipsi aduersarij confiteri cogantur, eos vtilis, innoxios, & planè dignos lectione Christiana. Alterum genus dixit esse eorum, quod in Papatum & doctrinam Papistarum inuebitur, tanquam in eos, qui suis doctrinis & exemplis pessimis, orbem Christianum, vtroq; malo & Spiritus & corporis vastauerunt. Tertium genus esse affirmavit eorum, quos in aliquos priuatos, & singulares (vt vocant) personas scripserit, in eos scilicet, qui tyrannidem Romanam tueri, & doctrinam ab ipso doctam labefactare conati sint. Hanc, inquam, dispositionem, quidam indicant retinendam, vt primo loco omnes doctrinales libri, & postea illi, quibus continentur certamina publica & priuata, ordine perlegantur.

Quidam iūq; non vulgariter docti, & in Luthero mediocriter versati, primo loco enarrationes eius, quas edidit in libros sacros vtriusq; Testamenti, legunt, idq; iuxta seriem in Biblijs obseruatam. Deinde explicationem singulorum capitum Catechismi ex diuersis eius libris colligunt. Tertio, conquirunt conciones, quibus

Portæ, de Luthero.

quibus dicta scripturæ seorsim explicata sunt. Quartò, doctrinalia, consolatoria, & monitoria coaceruant. Quintò, materias de magistratu politico, coniugio & contractibus, vel usuris & similibus concinnant. Postremò, responsa ad quæstiones de capitibus doctrinæ controuersis, & alijs rebus, historias Martyrum nostri temporis, scripta, inuehentia in Pontificem Romanum, & eius cohortes, cognoscere laborant.

Alij existimant ordinem annorum simpliciter sequendum, quod sanè consilium illis non inutile esse videtur, qui habent iudicium confirmatū de omnibus articulis doctrinæ Christianæ.

Quia verò dies diem docuit, & Lutherus se docendo & scribendo profecisse & didicisse cum D. Augustino fatetur: & initio causæ suæ plurima largitus est Pontificus, quæ postea acerrimè taxauit & damnauit: vt verè dicat D. Amsdorffius; Quantum aurora à luce meridiana distat: tantum est discrimen inter libros Lutheri à principio scriptos, & eos, quos aliquantò post edidit: consultius est (meo quidem iudicio) vt incipientes & iudicij imbecillioris homines, primùm legant libros exegeticos & doctrinales, & inde petant fundamenta singularum partium doctrinæ, ac deinceps confirmato iudicio, etiam cognoscant certamina Lutheri iuxta seriem annorum, Tunc enim minus offendentur clamoribus Pontificiorum de ἀντι-

Oratio M. Conradi

λογισαι, & liquidò deprehendent, quàm mirabiliter Deus gubernarit & duxerit istum virum, & quomodo subinde clariorem & firmiorem lucem, de summis quibusq; rebus in eo accenderit, & tenebras plus quàm Cymmerias, immensa misericordia per illius ministerium, discussit & sustulerit.

Exegetici autem & doctrinales libri, iuxta sententiam D. Doctoris Ioachimi Mörlini, constantis D. Lutheri discipuli, hoc ordine cognoscendi sunt: Principio omnes p̄ Catechismum paruum (vt vocant) D. Lutheri non legant solùm, sed etiam de verbo ad verbum ediscant, & verba singula, eorumq; emphases accuratè ponderent, examinentq;. Iste enim libellus, quantumuis parvus & in speciem vilis appareat, admiranda breuitate totum negotium salutis nostræ nervosius complectitur, quàm multorum prolixi, & intricatis questionibus, ineptis ac impijs glossulis refertissimi libri, aded vt omnes portas inferorum, & hostes atq; heretici omnes in vnum collecti, nihil prauallituri sint aduersus illum. Ideoq; rectissime iudicauit D. Jonas, quando dixit: Non Lutherum solummodo, sed ipsum Spiritum sanctum eius libelli autorem & scriptorem, aut certe dictatorem fuisse.

Paruo Catechismo subiungatur auctior ille & locupletior, cum explicatione 19. & 20. capitulis

Portæ, de Luthero.

pitis Exodi, ex quibus apparebit, quàm multa paucis verbis complexus sit vir Dei in paruo Catechismo, & quòd eiusdem sit artificis breuiter & copiosè de re aliqua disserere.

Porro iactis his fundamentis facile superari potest Corpus Doctrinæ, seu vberior omnium locorum expositio, ad quam viam quasi sternunt 17. Articuli, ex quibus Augustana Confessio postea conflata est.

Non parùm quoque seruiet huic instituto eius Confessio, addita magnæ Confessioni de Cæna Domini, cui contra omnes portas inferorum se immoriturum affirmat: Similiter modus simplex orandi, Tomo 6. Ienensi Germanico, Smalcaldici Articuli, & Confessio Augustana, in quibus omnia ista sunt collecta, & quasi in vnum contracta.

Deinde accurato iudicio & diligentia legatur aureus iste in Epistolam ad Galatas commentarius, & probè obseruetur iudicium celeberrimi Theologi & viri integerrimi D. Davidis Chytræi, quod in oratione sua de rectè inchoando studio Theologico, his verbis expressit: Ad eruditionem, inquit, spiritualem, & sapientiam illam Ecclesiæ peculiarem, & mundo ignotam, de gratia Christi, & iustitia fidei, rectè intelligendam, longè plus conducet, vnicus LUTHERI in Epistolam ad Galatas

Dd 4

com

Oratio M. Conradi

commentarius, quàm omnia Hieronymi, Basilij, Cyrilli, Origenis, Nazianzeni, Epiphaniij & plerorumq; patrum opera in vnum collata, pleriq; enim patres, in Articulo, de tribus personis diuinitatis, & duabus in Christo naturis, illustrando, omnem vim ingenij & eloquentiæ consumunt, propriam verò Euangelij de Gratia Dei & iustitia fidei doctrinam, quæ præcipuum & proprium Ecclesiæ patrimonium est, leuissimè attingunt, aut politicis opinionibus de iustitia legis obscurant & deprauant. Hæc ille.

Euoluatur quoq; attentè tractatus de nouissimis verbis Davidis, Item liber de Ecclesia & concilijs, in quibus secundum & tertium Articulos Symboli nostri luculenter & graui-ter exposuit.

His tandem addatur viri Dei in Genesin Enarratio, quam postremo vitæ suæ decennio (vt rursus D. Chytræi præceptoris mei optimè meriti, verbis significantissimis & grauissimis vtar) velut Cygneam cantionem omnibus numeris absolutissimam edidit, in qua diuinus ille Propbeta, nostro tempore ad instaurationem veræ de Deo doctrinæ excitatus, & summis Spiritus sancti donis instructus, præter amplissimum sanctæ eruditionis, & sapientiæ spiritualis, thesaurum, vberrimam orationis copiam, & exactam omnium locorum, & questionum intricatarum explicationem, adhibuit etiam,

Portæ, de Luthero.

iam, & penitus orationi suæ inſeuit mirificam
δευότητα, & vim permouendi animos lecto-
rum, & ad veram pietatem, timorem Dei, &
cæteras virtutes inflammandi. Si gitor in omni
genere doctrinarum, optima quæq; scripta sibi
ad discendum & imitandum singuli proponere
debent: adhortandi certè sunt omnes piij, vt
hanc Lutheri cantionem Cygneam attentè &
diligenter legant, & sibi familiarem reddant,
præ cæteris aliorum quorundam autorum scri-
ptis, eruditis quidem ac copiosis, sed tamen quod
ad sapientiæ cælestis, & rerum grauissimarum
maiestatem & vim permouendi, ac ad pios
et spirituales motus accendendi animos lectorũ
pertinet, tantum cedentibus Lutheri scripto,
quantum cæteræ stella φωσφόρος seu solis po-
tius lumine & splendore superantur. Hæc opti-
mus vir verissimè scripsit in commendationem
commentarij in Genesin, quem si quis diligen-
ter cum reliquis exegeticis libris cognouerit,
is sine offensione & scrupulo in alijs quibus-
cunque scriptis Lutheri, cum fructu versabitur.

Hactenus igitur in commemoratione quan-
dam de modo legendorum scriptorum Lutheri
digressi sumus, idq; non propter doctos & usu-
peritos: sed propter rudiores & neophytos, qui-
bus speramus illam non futuram ingratham.

Sequitur igitur tandem secunda orationis
nostræ pars, de obiectionibus, quæ à Sophistis,

Oratio M. Conradi

Et occultis Lutheranae Theologiae inimicis, mouentur, ad retrahendos atq; absterrendos iuniores a cognitione saluberrimae doctrinae, quae in monumentis Lutheri continetur.

Isti autem sine dubio mihi obijcient: Solos fontes legendos esse, scripta scilicet Prophetica & Apostolica, quod & doctrinam vniuersam simpliciter & breuiter contractam contineant, & minimè lectores pios fallant:

Respondeo. Verissimum hoc esse: Ideoq; iuuentuti pie & omnibus hominibus illud Christi, Iohan. 5. Scrutamini scripturas: Et Pauli illud: Attende lectioni & doctrinae: semper inculcandum, vt singuli textum Bibliorum sibi familiarissimè notum reddant. Atq; in ea re nobis omnibus Doct̃or Martinus Lutherus suo ipsius exemplo prauiuit strenuè. A prima enim adolescentia vsq; ad extremum vitae suae halitum, assiduus & indefessus sacrarum literarum lector & scrutator fuit. Hinc venustissima saepe similitudine vsus est: Sacram nimirum scripturam esse nemus amplissimum & amœnissimum, praestantissimis, pulcherrimis, & feracissimis arboribus densissimè consitum, quod in longitudinem & latitudinem perreptaerit toties, vt nulla sit arbor, quam non pulsauerit, & ex qua non multos fructus dulcissimos & saluberrimos perceperit. Legit autem praeter latinum textum, Graecum quoq; & Hebraicum, idq; cum alijs tum
prae

Portæ, de Luthero:

præcipue isto tempore, quo in pathmo latuit; illam namq; quietem hanc ob causam potissimè concessam sibi existimauit, vt ipsos fontes inuestigaret. Idcirco ibidem Bibliorum versionem tentare feliciter incæpit, teste Mathesio seniore, in vita eius.

Quàm verò fuerit illud laboriosum & difficile, apparet ex ipsius D. Lutheri ad Venceslaum Lincum epistola, vbi ait: Nos iam Prophetis vernacula donandis sudamus, Deus quàm molestum & quantum opus, Hebraicos scriptores cogere germanicè loqui, qui resistunt, quàm Hebraicitatem suam relinquere volunt, & barbariem germanicam imitari, tanquam si Philomela cuculum cogatur, deserta elegantissima melodia, vnisonam illam vocem detestans, imitari. Hæc Lutherus serijs iocos miscens, verissima scripsit, sed Deo vires & spiritum largiente, tandem ponderatis atq; examinatis singulis oculis, ac collatis sententijs, cum viris doctissimis & clarissimis, D. Philippo Melanthono, D. Iohanne Bugenhageno, D. Iona, Crucigerò, Aurogallo, Bernhardo Ziglero, & alijs, BIBLIA vniuersa in nostrum vernaculum idioma, tanta dexterrate & perspicuitate transfudit, vt versio ista sola plus lucis afferat locis obscurioribus, quàm multorum proluxi & inepti commentary. Nam omnes linguarum periti vltro fatentur, feliciorè, clariorem,

Oratio M. Conradi

& planiorem versionem nusquam extare, imò
exteris nationes hodie verum intellectum mul-
torum doctorum ex illa petere. Dabunt igitur
operam Theologiæ studiosi, & omnes piæ men-
tes, vt & ipsi præter fontes Biblia illa germa-
nica cõmendata sibi habeant, diligenter & li-
benter legant, doctrinas ac consolationes in o-
mni vita necessarias, ac in morte vtilis futu-
ras inde petant. Ac si grauissimum senem &
Theologum, de multis diuersarum regionum Ec-
clesijs optimè meritum, D. Doctorem Pome-
ranum, non puduit, quotannis in suis ædibus
celebrare Festum translationis Bibliorum, vt
memoriã tanti doni conseruaret in familia sua,
ipsi quoq; gratis pectoribus immenso isto labore
fruamur; Deumq; oremus, vt thesaurum istum
nobis illibatum conseruet perpetuò. Verùm ab
ea gratitudine & diligentia tantum (proh do-
lor) absumus, vt verissima sit querela Domini
M. Michaëlis Neandri: Pleriq; etiam illi,
qui professione sumus Theologi, omnibus rebus
plus ocij, studij, temporis ac laboris, quàm hu-
ius lectioni assidue tribuimus: ita vt de centum
Theologis vix vnum inuenias, qui in vita se-
mel Biblia tota attentè perlegat: De mille non
vnum, qui tota intelligat: De decies mille nul-
lum, qui eo studio singula in ijs examinet, tru-
tinet, ac perpendat, quo plerique plana nobis
facimus, quæ obscura & difficilia sunt in Ho-
mero,

Portæ, de Luthero.

mero, Pindaro, Ouidio, Vergilio, Dioscoride, & ubi apices, syllabæ, ac voces singulæ exactissima diligentia ponderantur. Hunc inuersum ordinem nos, qui Theologi & Christiani haberi et censeri volumus, detestantes, sequamur præceptum Christi, iubentis assidue legere & scrutari scripturas, & ipsius Lutheri exemplum.

Quando verò ex sacris Biblijs historias sacras cum temporum serie animis infiximus, & sententias insigniores ac testimonia de singulis doctrinae Christianæ articulis, & refutationibus errorum probe didicimus, tunc certè quoq; sunt cognoscendi interpretes, hæc duo quærentes, ut nimirum illustrent lectionem auctoris seu fontis, & ut explicatio sit testimonium profuturum posteris, & confessio veræ sententiæ. Quantò igitur Lutheri commentarij magis illustrant Propheticos & Apostolicos libros, confessionesq; illustriores continent: tantò diligentius post sacras literas cognosci & legi debent.

Obijcientibus mihi verba ipsius Lutheri ex præfatione 1. Tomi latini, vocantis suos libros rude ac indigestum chaos, & cupientis, ut perpetua obliuione sepeliantur libri sui, ut melioribus sit locus: respondeo verba D. Amsdorffij eodem Tomo: maior ratio nobis habenda est, quid Ecclesiæ Christi necessarium & salutare sit, quam quid autor ipse de suis laboribus modeste indicarit. Hoc enim non dubitans

con-

Oratio M. Conradi

confirmare possum, neminem fuisse interpretem
ex omnibus, quorum extant literæ post Apo-
stolos, qui tanta luce & ardore spiritus, Pro-
pheticos & Apostolicos libros illustrarit, &
omnes fanaticos errores, in primisq; hunc anti-
quissimum & postremum, addo etiam pessimum
ac nocentissimum, quòd videlicet Bona opera ad
salutem necessaria sint, verbo Dei tam eviden-
ter refutari atq; euertit &c.

Tertiò non desunt, qui rigidum nimis &
vehementem ipsum fuisse queruntur. His nihil
aliud, nisi illud D. Philippi & Erasmi oppo-
no: Deum propter morborum magnitudinem,
dedisse postremæ ætati acrem medicum: Duro
enim nodo durus querendus cuneus. Item illud
Erasmi ad Laurinum: Nisi sic commuerunt
peccata nostra, vt per tam acerbum obiurgato-
rem Scorpionibus cederemur. Et quod ipse Lu-
therus molli & delicato Latomo respondet, To-
mo 2. Ienensi, fol: 402. Nunquam exegi, vt me
quis modestum aut sanctum haberet, sed vt
Euangelion omnes agnoscerent, data licentia in
meam vitam grassandi cuiusuis libidini. Hoc
tamen gloriatur conscientia mea, nullius vi-
tam aut famam esse à me læsam, solum dogma-
ta, studia & ingenia, in verbum Dei impia &
sacrilega, acerbius iniectatus sum, in quo, vt
non deprecor culpam, ita non sum sine exem-
plo. Iohannes Baptista, & post eum Chri-
stus,

Portæ, de Luchero.

Illos, vocat Pharisæos genimina viperarum, immodestissimo & atrocissimo maledicto, Atque ita asperè inuebitur in tam doctos, sanctos, potentes & honoratos viros, ut eum rursus dæmonium habere dixerint ipsi.

Item paulò post: Malo ego apertus esse, & neminem blanditiis fallere, Cortex meus potest esse durior, sed nucleus meus mollis & dulcis est. Nemini enim malè volo, sed omnibus opto mecum quàm optimè consultum. Porrò duritia mea ut nemini nocet, ita neminem fallit, Quæ me vitat, nihil à me patietur: qui me fert, lucro augetur. Salomon dicit Prouerb. 28. Quæ corripit hominem, postea gratus erit præ illo, qui blandus est lingua. Debetur reuerentia auctoritati fateor, sed citra diuini verbi iniuriam, quod est ipsemet Deus, cui oportet magis obedire, quàm hominibus.

Idem ad Spalatinum, autoritate Fabricii, Capitonis, & Erasmi, ad lenitatem se hortantem, scribit: Ciuilitè admoniti Pontifices sibi blanditum putant: & velut ius habeant incorrigibilitatis, perseuerant, contenti quòd tremendi sint, & nemo eos reprehendere audeat: Hos tuus Plutarchus de adulatione format, sed grauiùs & horribiliùs Hieremias: Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter. Loquitur enim de opere gladij in hostes DEI. Et ego timeo valde & vexor conscientia, quòd
tuo

Oratio M. Conradi

tuo & amicorum consilio cedens, V V ormatix
remisi spiritum meum, & idolis illis non exhi-
buerim Eliam quendam, alia audirent, si denuo
sisterer coram eis. Habes Lutheri ipsius excu-
sationem iucundam & sufficientem, quo ad ve-
bementiam.

Quartò, Aliqui ordinem & methodum
in libris Lutheri desiderant, ac propterea &
ipsi à libris eius abstinent, & alijs abstinentum
censent. Qualem autem isti ordinem velint, ego
non satis intelligo, Lutherum ordinis studio-
sissimū & amantissimum in omnibus fuisse, illis
facile liquet, qui vël obiter saltem eius scripta
inspexerunt.

Quid Catechismo eius paruo elegantius, aut
methodicum magis? Nonne in singulis prece-
ptis virtutes & vitia, nervosissima breuitate
commemorant, vt iure clarissimus vir D. Doctor
Ioachimus Mörlinus omnes hæreticos &
suggillatores Lutheri prouocet, vt si velint aut
possint nervosior em & rotundiorem primi præ-
cepti explicationem tradant, quam est illa Lu-
theri in paruo Catechismo?

Nonne creationis articulum per partes
eruditissime explicat? Nonne cognata eiusdem
exponit, sustentationem seu conseruationem
rerum? Nonne causas finales, Gratiarum adhi-
onem & obedientiam disertè exprimit? In se-
cundo articulo expressè ponitur causa efficiens
iustie

Portæ, de Luthero.

iustificationis. Iesus Christus verus Deus ab æterno à Patre genitus, & verus homo natus ex Maria virgine. Deinde causa impulsiva in nobis, perditio & damnatio, cum iugo peccati, mortis & diaboli, cui subiecti eramus. Tertio, Causa instrumentalis seu λύτρον, non aurum & argentum, sed sanctus ac preciosus sanguis Iesu Christi, eiusq; immerita mors & passio. Deniq; causa finalis seu effectus, ut simus peculium Dei, & in suo regno sub ipso vivamus, in perpetua iustitia & innocentia, perinde ac ipse à morte resurrexit, vivit ac regnat in æternum.

Tertius articulus graphicam definitionem serui arbitrij continet, quod proprijs rationis sue viribus Iesu Christo Domino suo credere, aut ad eum accedere nullo modo possit. Deinde causam efficientem liberi arbitrij, spiritum sanctum: & instrumentalem, Evangelium seu verbum Dei ponit. Tandem subiicit effectus, spiritus sancti & verbi conservationem in vera fide, quam sequitur remissio peccatorum, & vita æterna.

In Oratione Dominica initio Deum Patrem in oratione compellandum, & fidem exprimit, Deinde ordinem rerum petendarum spiritualium & corporalium commemorat, & concludit causis impulsivis, mandato & promissione. Hæc est methodus ab ipso Christo præscripta,

E e quam

Oratio M. Conradi

quam probabunt opinor inepti Aristarchi, nisi forsitan & ipse Christus barbarus est, quod potestate à Patre accepta utitur, posthabito Aristotelis organo.

Definitionem Baptismi talem tradit in Catechismo Lutherus, ut meliorem nulli eius deprauatores & corruptores sint exhibituri, rumpantur ut ilia Codri. In enumeratione causarum finalium & effectuum neruosissima, quid carpant, nemo sanus habet. Diluit etiam grauius pugnantes Anabaptistarum obiectiones, & typo, adumbrante vitam Christianorum in hac vita, concludit.

Definitio Cœnæ Dominicæ hætenus immota perstitit aduersus omnes omnium Sacramentariorum furores, & clamores. Enumeratio causarum & effectuum, & refutatio delirij Papistici de opere operato, ac digna piorum præparatione, omnibus rectè iudicantibus, satisfacit.

Hæc est methodus Lutheri in Catechismo, quam quia oculis aut saltem perspicillibus carent Momi, illis monstrare paucis volui. Posset idem fieri in alijs viri Dei scriptis (quæ ad Catechismi & scripturæ normam vniuersa accommodat, ita ut nihil nisi Catechismus sint omnia eius viri libri) nisi temporis & instituti nostri ratio habenda esset.

Quòd autem non persecutus est in omnibus expresse singulas Dialecticorum diuisiones

nes

Portæ, de Luthero,

mes, & subdiuisiones, suas habet causas. Nouit enim Doctor prudens & circumspectus, rudiores & simpliciores, præsertim in vernacula lingua, magis onerari, quàm erudiri istis subtilitatibus & minutijs.

Postremò, plurimi vociferantur, nimis magnis præconijs ornari scripta Lutheri, cùm non ipsius tantùm, sed collegarum quoq; libri non parùm præstiterint? Respondeo.

Habent aliorum libri suum locum & laudẽ, nec diffitemur collegarum salutare, & à Luthero viuente approbatos & collaudatos labores, multum quoq; profuisse Ecclesiæ, Verùm hoc non patimur nobis eripi, Lutherum omnes quorumcunq; labores, multis modis superare, & ad hoc præcipuè excitatum fuisse, vt voce & stilo Ecclesiam Dei ante extremum iudicium gubernaret & informaret.

Ille enim singulari Spiritus sancti illuminatione, de omnibus Articulis doctrinæ Christianæ, præsertim primarijs illis, arcemq; salutis nostræ continentibus, & à Pontificijs sceleratissime corruptis & deprauatis, rectissime sensit & docuit, antequam pleriq; Collegæ animum ad Theologiæ studia adiecerunt, aut quicquam in Theologia scripserunt aut euulgarunt.

Si quis verò existimat, se dubitandi causam hac in parte habere, is legat primum Tomum Epistolarũ Lutheri, & statim mihi nolens vo-

Oratio M. Conradi

lens suffragabitur. Propter adolescentes exemplum vnum aut alterum annoto: Quod tyrannidem plus quam cyclopicam & barbaricam, Romani Antichristi & complicum ipsius, aduersus illos, qui vel modicum dissentire videbantur ab impijs traditionibus, extreme semper detestatus sit, epistola 4. Tomo 1. Epist. Anno 1514. ad Spalatinum scripta testatur. Item: Epistola 6. ad eundem, cuius haec sunt verba: Si protestationes & opiniones a periculo non sunt liberae, timendum nobis erit, ne forte tandem pro libito isti inquisitores incipiant Camelos glutire, & culices colare, & orthodoxos, etiamsi omnia protestentur, pro Haereticis pronunciare. Iam vero de hoc quid dicam, quod Beelzebub eijcere moliuntur, & non in digito Dei? Hoc est quod saepe doleo & plango. Quia nos Christiani incepimus foris sapere, & domi desipere, centuplum peiores blasphemiae sunt per omnes plateas Hierusalem, & omnia spiritualibus idolis plena, quae cum summo sint studio tollenda, tanquam intestini hostes, nos tamen relictis omnibus illis, qui nos maxime urgent, ad exterarum & peregrinas causas conuertimur, suadente scilicet Diabolo, vt nostra deseramus, & alienae non emendemus, potest ne obsecro isto zelo aliquid stultius & imprudentius cogitari?

Liberi arbitrij controuersiam Anno 1517.
paucis

Portæ, de Luthero.

paucis verbis ad Spalatinum expedit, Epistola
34. Ex nobis nihil possumus, ex Gratia Dei
omnia possumus, & quanto magis conamur ex
nobis ad sapientiam, tanto amplius appropin-
quamus insipientiæ, sicut Salomon ait: Dixi sa-
piens efficiar, & ipsa longius recessit à me. Et
Epistola 9. Anno 1516. ad Georgium Spenlein
de iustitia hominis peccatoris coram Deo, sic
scribit: Quid agat anima tua scire cupio, vtrum
ne tandem suam pertesa propriam iustitiam, di-
scat in iustitia Christi respirare atq; confidere.
Fruet enim nostra ætate tentatio præsumtionis
in multis, & ijs præcipue, qui iusti & boni esse
omnibus viribus student, ignorantes iustitiam
Dei, quæ in Christo nobis effusissime & Gratis
donata est, quærent in seipsis tam diu operari
bene, donec habeant fiduciam standi coram Deo,
veluti virtutibus & meritis ornati, quod est
impossibile fieri. Igitur mi dulcis frater, discite
Christum & hunc crucifixum, discite ei cantare,
& de te ipso desperans dicere ei: Tu Domine
Iesu es iustitia mea, ego autem sum peccatum
tuum: tu assumpsisti meum, & dedisti mihi tu-
um: assumpsisti quod non eras, & dedisti mihi
quod non eram. Caue ne aliquandò ad tantam
puritatem aspiret, vt peccator tibi videri nolis.
Christus enim non nisi in peccatoribus habitat.
Ideo descendit de Cælo, vbi habitabat in iustis,
vt etiam habitaret in peccatoribus, Istant cha-

Oratio M. Conradi

ritatem eius ruminas, & videbis dulcissimam consolationem eius: Si enim nostris laboribus & afflictionibus ad conscientiae quietem pervenire oportet: ad quid ille mortuus est? Igitur non nisi in illo per fiducialem desperationem tui & operum tuorum, pacem inuenies: disces insuper ex ipso, ut sicut ipse suscepit te, ita peccata tua fecit sua, & suam iustitiam fecit tuam. Haec ille.

Quis autem quaeso ex omnibus Collegis & παραστάταις in maxima Evangelij luce clarius & melius scripsit de his Articulis? Posset & in alijs partibus doctrinae Christianae idem monstrari, nisi tempus nos deficeret, & nisi omnes Sani Doctores, proximè accedentes ad gravitatem Lutheranam, idem sentirent & iudicarent.

Memorabilis extat vox clarissimi Theologi & venerandi senis D. Iohannis Brentii, Iohannem Tetelbachium adhortantis ad diligentem lectionem librorum Lutheri, & dicens: Solus Lutherus vivit in suis scriptis: Nos omnes sumus collatione ipsius, quasi litera mortua. In eandem sententiam ad eundem scripsit Theologus verè Lutheranus D. Hieronymus VVellerus, his verbis: Ego scripta Lutheri magnifacio, nec dubito illa ferè cum Epistolis Paulinis conferre, omnesq; qui illum sapientia & acumine in interpretanda scriptura vince-
re student, οὐκ ἀγνώσκω θεολογείην existimo. De
eius

Portæ, de Luthero.

*eius plenitudine omnes nos Theologi accepimus,
quod scimus & profitemur.*

*Nec inconcinne dixit reuerendus senex M.
Antonius Otto: Lutherus fuit Theologus à
priori, reliqui omnes sunt Theologi à posteriori.
Iuniores meminerint versus celeberrimi Poetæ
D. Georgij Fabricij Chemnicensis:*

Inter Theologos est gloria prima LVTHERVS.

*Nam Christi merito nemo magis tribuit.
Huic par est nullus: placeat non deneger eius
Discipulus, cui laus contigit ista, fat est.
Et illum D. M. Zachariæ Prætorij no-*

stris:

Miraculum fidei, doctrinæ norma LVTHERVS.

*Coronidis loco addo adhuc vnum lucu-
lentissi: D. Philippi iudicium ex præfatione
tertiæ partis in Genesin: Cum Lutheri mini-
sterio Deus Ecclesiam repurgauerit, ad quod
eum excellentibus donis instruxit, res ipsa o-
stendit, ipsius enarrationes longè antecellere
aliorum interpretum scriptis, quas quidem ex-
tare & ad posteros transmitti vtile est, non so-
lum vt illustrentur libri Prophetici & Aposto-
lici, sed etiam vt de omnibus articulis nota sint
viri tanti, cuius pectus Spiritu sancto regeba-
tur, testimonia & confessiones, quibus deinceps
pij in certaminibus dogmatum confirmantur.*

*Conuenit cum hoc iudicio, & superiora etiam
summatim complectitur, adhortatio Reuerendi*

Oratio M. Conradi

& clarissimi viri D. Lucæ Backmeisteri S.
Theologiæ Doct̃oris, in Ecclesia & Academia
Rostochiana, in libello utiliss: de modo con-
cionandi, ad ministros Ecclesiæ, ibi inquit: fol.
25. Præcipue in Lutheri scriptis euoluendis
sedulus & assiduus sit pastor, & vbicunq; eius
enarrationem habere potest, eam præ alijs in-
spiciat & accurate consideret. Nam vt Lucifer
inter reliquas stellas, sic diuini istius viri scri-
pta inter omnium eorum, qui nostro tempore,
imò inde vsq; ab Apostolorum fere temporibus,
de rebus sacris scripserunt, commentarios, emi-
cant, idq; propter rerum diuinarum incompa-
rabilem scientiam, quæ in eo fuit, & propter
grauitatem ac maiestatem sententiarum, deuó-
tæ seu vim ac pondera verborum, & totius
orationis copiam ac perspicuitatem, quam scri-
pta illius continent. Nemo igitur absq; singulari
fructu à lectione horum scriptorum dimittetur.
Et concionator quidem cum ad populum sermo
habendus est, hæc maxime in Lutheri enarra-
tionibus quæret, obseruabit, & imitari aliquo
modo in suis concionibus studebit: veram &
genuinam textus enarrandi sententiam: præ-
cipuas & in primis vtilis in eo textu doctrinas,
& harum disertam explicationem ac confirma-
tionem ex reliqua scriptura: Accommodationem
doctrinæ seu usum ad exercitia fidei, pœnitent-
iæ, & totius vitæ Christianæ, in quo usu mon-
strando

Portæ, de Luthero.

strando singularis & admirabilis artifex est
Luth: Illustria item variorum casuum exempla,
cùm ex sacris literis, tùm ex vita communi de-
sumpta: verba significantia: affectus insignes:
præclaras & pias de rebus grauissimis cogita-
tiones: Proprietatem quoq; & elegantiam line-
gæ Germanicæ, & similia plura, &c.

Sic audiistis clarissimi viri, & vos p̄i ado-
lescentes causas grauissimas, quare D. Luthe-
ri scripta accurata diligentia legenda sint, &
quo ordine: percepistis iidem paucis, quid zoi-
lis & contemptoribus eorundem responderi
possit aut debeat. De utroq; autem non mea
præiudicia, quæ in ardua hac materia repre-
hendi aut planè reijci poterant, Sed istorũ quoq;
virorum cognouistis sententias, quorum nostro
seculo fuit & est magna autoritas, & maior
erit apud omnem posteritatem. Præterea vobis
suggessi ipsius Lutheri de rebus maximè ar-
duis & necessarijs verba, in quo reprehensiones
in quas incursum sum, adeò non curo, vt lau-
di mihi ducam, alijs præsertim iunioribus, exi-
mere opinionem istam, qua ego ab aliquibus
imbutus fui, obscurum scilicet esse Lutherum,
& pauca realia habere. Jam enim cùm vix ex-
tremis, vt aiunt, labijs eius libros degustare in-
ceperim, intelligo, singula eius verba singulas
sententias & doctrinas continere, Ideoq; val-

Oratio M. Conradi

de doleo, quòd non citius ad Lutheri lectionem
adhibitus fuerim, & adolescentes hortor, ac se
quid mea apud ipsos petitio valet, obtestor &
oro, vt aureos illos Epistolarum Lutheri Tomos
maturè incipiant legere & relegere, in quibus
non tantùm initia, occasionem & progressum
certaminum Lutheri inuenient, sed iudicium
suum de multis grauissimis rebus & actioni-
bus formabunt, & ad lectionem reliquorum
operum Lutheri, successu temporis, promptio-
res & paratiores erunt.

Postremò, quia nulla humana eloquentia
satis predicare aut extollere potest excellenti-
am & utilitatem scriptorum viri Dei Luthe-
ri, æternum patrem Domini nostri Iesu Chri-
sti supplicibus votis & veris gemitibus pre-
cabimur, vt nos Spiritu sancto suo regat, ac fri-
gus & veterum nostrorum pectorum excuti-
at, vt saltem verè pijs ac gratis mentibus hæc
insignia Dei dona agnoscamus, & depositum
à Luthero nobis concreditum sedulò & obnixè
tueamur, omnesq; illos, Zoilos & Sciolos, qui
præclarissimum Dei ὄργανον, eiusq; scripta ro-
dere impudenter incipiunt, & ex manibus &
cordibus piorum eius libros & memoriam ne-
fariè extorquere & delere conantur, toto pe-
ctore auersemur & execremur, & tandem
eius doctrina cælitus accepta instituti & im-
buti,

Portæ, de Luthero.

*buti, per fidem in Iesum Christum, à Lu-
thero, altero Baptista, nobis monstratum, æter-
nam corporis & animæ salutem
consequamur, Amen.*

D I X I

IN ORATIONEM D. M.
Conradi Portæ de Luthero,
M. Zacharias Præ-
torius P. L.

Laudatos laudare viros dignissima laus est.
Quid iuvat obscuros tollere laude viros?
Multa tuum leuat aura cygnum Mansfeldicæ
Martinus toto Doct̃or in orbe volat. (tellus
Conspicius cunctis zelus fuit ipfius, estq̃,
Conspiciuas dotes (testis Olympus) habet.
Has non laudamus modò, sed ne obliuia deinceps
Obrepant, gratis mentibus asserimus.
Non sua detrahitur laus his, qui laude refulgent,
Ne modò sordescat quæso vir ille tibi.
Anteit ille alijs, quantum sacra pagina cunctos
Anteit autores, & bona verba, bonos.
Hanc ergo Historiam Portæ lege fronte serena
Materiam dulcem, dulcia verba leges.

Ne

Ne vacent reliquæ pagellæ, doctissis
morum aliquot Poëtarum de viro
Dei Luthero Elogia adij-
cere placuit.

I N S I G N I A
R E V E R E N D I V I R I D O -
C T O R I S M A R T I N I L U T H E R I,
de Ecclesia Dei viuentis be-
nè meriti.

Aureus in cœli micat orbis parte fereni:
Perfectum quiddam forma rotunda notat,
Pendula sub spinis rosa, sacri est agminis in-
Et medio Christus regna sub hoste tenet, (star:
Cur media regione crucis fert æmula signa:
Corde gerens Christum multa dolenda tulit.
Serta loco clypei stant aurea: figit in illis
Aliger erecto corpore signa pedum.
Ille crucem læta vibrat, dextraq; coronam,
Qui mala pertulerit, præmia victor habet.

I N T E R P R E T A T I O C O R O -
næ, Rosæ inter spinas, cordis &
crucis: quæ sunt pro
insignibus.

Perfeci in spinis florens, quò credula corda
A cruce penderent optime Christe tua.
Nos

N O M E N.

M endacia	S E C U N D U M	L uce
A ntichristi		V eritatis
R efutauit.		T riumphauit.
T ribuit		H æreses
I esu		E cclesiæ
N omen		R omanæ
V nicum		V erbo
S alutis.		S uperauit.

I N S I G N I A

CATHARINÆ à BORA,
Vxoris D. Martini Lutheri.

Gens Borauum multis splendorem extendit ab
annis;

Hinc Catharina fata est, iuncta Luthere tibi,
In clypeo fuluus leo pugnat parte sinistra,
Caudatq; pãuonis lutea scuta tegit.

I N T E R P R E T A T I O.

Fortis apes generat leo, dulces nempè nepotes,
Qui forma decorant, & probitate genus.

Iohan Maior D.

II.

DE MARTINO LVTHERO
Theologorum Principe.

Nostri fuit seclī LVTHERVVS Helias,
Negat Anomus, squamæ negant Behemoticae,
Molos

Molochiq; Episcotiq; gens Maofia:
 Nomen quibus dedere Cardines negant,
 Chamofiq; Vitulariq; Dagoniq;
 Mcartothæ, Cacolyciq; Hylactōris
 Precioq; læti, præmioq; Thaidis:
 Thammusia negat turba, grexq; Afharticus,
 Apostataq; perfidiq; transfuga,
 Et Sequana, Diliaq; & Tridens Neptunia
 Beelzebulis consecrata Sphecijs:
 Negat ipse Deus Acherusius, Proserpina,
 Megæra cum sororibusq; & Cerberus,
 Cælo Gigantum irata turba, Ixione
 Nati, Ceraftæ, Gorgones, Stymphalides,
 Sphingesq; Cyclopesq; pasti equi viros,
 Salmoni, Tityiq; Scyllæ, Belides,
 Chimæra, Briareus, Hydra, crudus & Charon,
 Bufyris, & Scyron, Procrustes, & Scinis,
 Tarsesius pastor triformis, & Cacus,
 Lestrigones, Lapithæq; Lamia, Striges,
 Empusa, Laruæq; lemurum omnia agmina,
 Satyriq; Fauni, & Incubiq; & Succubi,
 Cunctaq; pestes, monstraq; omnia: sed negent,
 Negent in æuum, & pernegent in tartari
 Flammis, fuisse barbarumq; clamitent,
 Virumq; rixarum, furentem, nec polus
 Quem cerneret dignum secundo lumine:
 Nostri fuit seculi L V T H E R V S Helias.

Adamus Siberus.

III.
 DE LVTHERO, SNEPPIO
 & Philippo Melanchthone.

Occubuit sancti constantia morte L V T H E R I,
 Deficiens obiit tecum concordia S N E P P I,
 Tandem omnis perijt moriente MELANTHONE
 candor,

Johannes Stigelius.

IIII.

IN IMAGINEM REVEREN-
di Viri, D. Martini Lutheri, Theo-
logiæ syncerioris Doctoris
& instauratoris.

In sua concessit, quo tempore, fata LVTHERVS,
Mortuus est puræ religionis apex.
Mens it ad astra die, cui dat CONCORDIA nomē,
LVTHERVM in cœlos quæ comitata fuit.
Huic quia successit lacera DISCORDIA veste,
Da populo ELIAE pallia CHRISTE, tuo.

Joachimus à Beust, I. V. D.

V.

EPIGRAMMATA DE LV-
thero, Zachariæ Prætorij.

1.

Dum petit ignito Thesbites ætherâ curru
Clamat Elisæus prosequiturq; virum
O Pater Ifacidæ gentis tu currus equesq;
Tu fortis dubiæ nauita puppis eras.
Sic te prosequimur vates diuine LVTHERE,
Carminaq; in tumulto scribimus ista tuo:
Sacra repurgauit fuce temerata LVTHERVS
Præsul & antistes Teutonis ora tuus.

2.

Non nisi qui Paulum rectè profitetur, & omnes
Errores vero pectore & ore fugit,
Non nisi cui sancti sunt dulcia scripta LVTHERI,
De verbo rectè sentiet ille DEL.

Vna

Vna sit hæc fidei pia norma & regula nostræ,
Quam verbi monstrat pagina sacra DEI.

3.

Vera docet, nam signa facit diuina LVTHERVS,
Fulserat ex illo spiritus ipse DEI,
Cui testis DEVS est, hunc nos reprobare Prophetam
Impietas summa est pestiferumq; scelus.

4.

Qui faciem sancti non vidit & ora Lutheri,
Is mentem videat, lectitet atq; libros.
Cætera posthabeat, Sophiæ, licet optima dona,
Huius post fontes, aurea scripta legat.

5.

Pestis erat viuus Papæ, mors mortuus illi est,
Terra habet exuias, dogmata sacra manent.

Ἡ δὲ θεοῦ δόξα.

5. In tibi mandillam Ihu litera:
rum, & scriptum D. D. M.
fac, ex contra bidionis, hor:
vi temporis spacio memo:
ria infigas ploray: ita ne
puniabit te tantill. pra iij:
qd iusta ad hunc m, in acci:
siam, cum vultim. B. V.

§

Kost parva Biblia,
6. fr.


Theologia M:
14. fr.

Bund, 10. fr.

Summa 30. fr.

M. E.





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

3.

0

ENS

EM, AD

torum Reue-

oris nostri, D.

HER I,

phetæ

in Schola Isle

oris, Anno

XX.

PORTA,

ibidem.

emendatiùs,

edita.

R G AE

hica Simonis

ij.

XXVIII.